










Hermogenes Africanus.

De

moribus ejus,
praecipue dogmaticis opinionibus

exposuit

GUILELMUS BOEHMERUS,
Theol. Dr., ejusdemque in academia Gryphiensi Prof. ordin., et societatis historico-theologicae Lipsiensis sodalis.

„Credunt (haeretici) sine Scriptura, ut contra Scripturam credant". TERTULLIANUS.

„Major est sanctae Scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas". AUGUSTINUS.

SUNDIAE,
sumptibus librariae Loefflerianae.
MDCCCXXXII.

24.

Cogitanti mihi saepenumero, quid sit, quod tot pectorum humanorum millia Deum ter Optimum Maximum ardentissimis precibus adeant, ut erga Te, Princeps Serenissime! benignissimus esse pergat, diuturnam Tibi vitam largiatur, quin quicquid bonorum optaveris Tibi, concedat, haec potissimum — sincere loquor! — in caussa videntur esse: eximius Tuus sacrae disciplinae immo omnium et literarum et artium favor, fervida in Deo ejusque Christo reposita fides, genuina, quae ex fide proficiscitur, cari-

tas ac benignitas, praeclarum rei Christianae promovendae studium. Preces summo Deo, ad unum omnia scienti, notae, tametsi, praecipiente caelesti generis humani Servatore (VI Matth. 6) intra cubicula funduntur. Precibus alii alia adjungunt, per quae animos, Te admirantes, Celsissimaeque Tuae Personae Regiae devotos, aliquo certe modo manifestos reddituri sunt. Cum meis vero quid ego copulare valeo? nonnisi schedulas, quae jam sequuntur, literarias. Haud infitior, esse eas parum idoneas, quae ob oculos

Tuos, Clementissime Princeps! ponantur et Splendidissimo Tuo Nomini inscribantur, utpote quae non in pertexenda tota totius ecclesiae Christianae historia, qua Tu magnopere oblectaris, verum circa unum quendam haereticum homunculum describendum versentur, cujus memoria apud haud paucos interiit. Nisi forte cuidam excusationi mei inservit id, quod Hermogenis opinionibus a me frequenter admista sunt talia, praecipue Tertulliani, argumenta, per quae feliciter refelluntur, et in quibus sancta res Evangelica

triumphat. Hoc autem triumpho quid animo revera Christiano dulcius est? Accedit, ut fideliter descripta veterum in religione errorum foeditate deterreri ab eis queant, si qui recentioribus temporibus proclives ad istos sunt. Denique quae est penetralibus pectoris mei adversus Augustissimam Tuam Personam insita pietas, quaeque animo inhaeret cupiditas fervida, me pro acceptis per Gratiam Tuam beneficiis magnis gratum exhibendi, — eae me ita audacem fecerunt, ut libro ad Te, Serenissime Princeps! deferendo, gran-

dia conarer. Monet videlicet pietas, Te pro excellenti Tua humanitate ac vere evangelicâ non ponderis, quo quod offertur est, sed ipsius intentionis animi, quam sapit munus, quamque Augustinus, antiquissimus Hipponis Regii episcopus, „oculum animi" perquam scite declaravit, rationem habere. Unde Te, Princeps Indulgentissime! submisse rogo, ut audaciae meae veniam des, neve scriptionem hanc Academicam serena fronte ac placida suscipere dedigneris. Quibus precibus ubi benignissime annueris, ego permagna me felici-

tate potitum esse, persuasissimum mihi habebo, qui

AUGUSTISSIMI TUI NOMINIS REGII

cultor sum devotissimus atque obsequentissimus
Guilelmus Boehmerus.

Scribebam Gryphiae,
XVI Calendar. Mart. ann. MDCCCXXXII.

Praefatio

AD LECTORES DOCTOS.

„Θεολογεῖν δεῖ, οὐ τεχνολογεῖν“.

BASILIUS.

Christiana theologia, inter omnes theologias facile praestantissima, quot quantaque in sese continet, cultoribusque suis pertractanda offert! Quicunque cauturus est, ne rerum theologicarum multitudine obruatur, certas sibi partes sacrae disciplinae, circa quas totus occupetur, eligat necesse est, idque tanto magis necessarium esse existimaverim, quanto verius est, quod L. Annaeus Seneca, philosophus subtilis, alicubi ait: „Nusquam est, qui ubique est, nusquam habitat, qui ubique habitat.“ Me quidem ampla ecclesiae Christianae historia jam diu tenuit, quumprimis dogmatum, quin sectarum, quae inter Christianos exstiterunt, historia, praesertim quum tristissimas istas a vera

religione Christiana — pluries ἀλήθεια apud Paulum [1]) κατ' ἐξοχὴν vocata, — ostendat aberrationes, quas, si quis theologus veri nominis, i. e. biblicus, esse studet, numquam non declinet necesse est. Usu tritum est proverbium: vestigia terrent! Si quaeras, quid tandem caussae sit, cur, subortâ sectarum et haereticorum permagnâ copiâ, ego Hermogenem potissimum in singulari quadam scriptione tractandum mihi sumpserim, candide fateor: quia Hermogenes — hunc, quare materiarium dixerim, ex § XI [2]) satis apparet, — scripturam singularem variis de caussis meretur, neque vero hucusque expertus est. Quid in loco super creatione universi dogmatico unice verum sit, per sanctissimam nostram religionem atque adeo Judaeam, a Deo clementissimo dudum revelatum est; sed tamen nosse haereticorum de gravissimo hoc loco (quantumvis falsas) opiniones et earundem cohaesionem accuratius inspicere, tantum abest, ut prorsus inutile sit, ut vel finibus genuinae super creatione mundi doctrinae subtilius ac distinctius constituendis inserviat. Opposita quippe oppositis illustrantur, uti in ore mul-

---

1) Cf. verbi caussa I Tit. 14; I Timth. 3, 16; II Thess. 2, 10 al.

2) pag. 92, 92 hujus libri.

torum est. Neque gratiam quandam Dei in hac re non agnosco. — Nolo quidem infitias ire, theologo reapse Christiano accidere gratius, excelsas veritates eas, quae, — ut accommodatum Lutheri effatum usurpem [1]), — in religione Christiana instar „nuclei in nuce" sunt, quaeque ad resipiscentiam (μετάνοιαν) lapsorum mortalium, vivam in Christo fidem, justificationemque (δικαίωσιν) pertinent, docere, quam vanas haeretici cujusdam opiniones explicare. Est tamen solatio, enarrationem opinionum, dummodo satis bona sit [2]), non posse non generalem dogmatum Christianorum historiam clariorem atque certiorem reddere, et ea ratione promovere. Huic et in universum historiae ecclesiasticae vere prodesse, non minoris, ut arbitror, faciendum est, quam utilitates exegeticae theologiae afferre. Neque sat gravibus, si quid ego video, rationibus stabilita vox est, quam van der Hoeven misit, ubi, theologiae atque historiae ecclesiasticae professionem in schola Remonstrantium solemni ritu auspicaturus, orationem in aede eorum sacra habebat:

---

1) Cf. „Dr. Martin Luther's Briefe, Sendschreiben und Bedenken", a De Wettio collecta, tom. I.

2) Scriptionem meam satis bonam esse, iis ipsis affirmatum nolim.

„Codicis sacri interpretationem principatum tenere in theologia, reliquas disciplinas illius ministras ac comites dicendas". Etenim, sicuti cunctae disciplinae theologicae intimo secum vinculo conjunctae sunt, quoad omnes ideam summi Dei, in Christo Jesu luculentissime revelati, respiciunt, ita altera alteri par censeri debet, facilique (ex mea quidem sententia) evinci potest negotio, interpretationem sacri Codicis (exempli gratia) dogmaticae Christianae inservire, proque optimo ejus et immobili fundamento esse. Alioquin potest quidem esse dogmatice; verum γνησίως Christiana esse non potest. Immo quisquis vim ac naturam practicae theologiae sive applicatae recte perspectam habet, concedetne, caeteras theologiae disciplinas ministras ejus comitesque dicendas? —

Scriptum apud Platonem exstat notabile id effatum: „Δεῖ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν· εἴτε ὀρθῶς" κ. τ. λ. Equidem, posteaquam diutius mecum reputaveram, quanam ratione hic, quem jam typis imprimendum curavi, liber conscribendus esset, quummaxime eas in hoc genere leges servandas mihi judicavi: Primam, quae etiam a Marc. Tullio in historia habita est prima, ut ne quid falsi seu

mendacii proferrem, sed veritatem ubique consectarer, quae cuivis homini, dum ne totus erroribus ac vitiis depravatus sit, optatissima est. Studui insignem apostolum paganorum in hac parte imitari, Corinthiis (epistol. II; 13, 8) ingenue profitenti: „οὐ — δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἀληθείας“ [1]). Veri-

1) Exorti quidem sunt theologi Batavi, ut Erasmus et Grotius, Britannici, ut Polus, item Germanici, ut Bruckerus, qui vocem ἀλήθειαν de sincera vita Christiana seu vera justitia acciperent, contra quam Paulus nihil, pro qua posset (omnia). Ita declararet is, non esse penes se potestatem, juste viventes homines puniendi, sed vero hanc, eos praemiis donandi, ab incursibus injuste agentium defendendi caet.. Quadrat enarratio in cohaesione illius, quem citavimus, loci. Nec vero philologicae quaepiam rationes interpretationi adversantur. Verumtamen absoluta quaedam, sic explicandi, necessitas non adest; immo vero solemnis significatio „veritatis“ bene admodum retineatur licet: „se non posse quicquam contra eam veritatem, secundum quam Christianis (non male, verum) recte agendum sit, (cf. v. 7), se veram hanc doctrinam abrogare non valere; immo vero se hoc duntaxat urgere (ὑπὲρ) posse, ut verum hoc praeceptum Domini a Christianis rite observetur“. Neque jure defenderit quispiam, posteriorem expositionem non esse facilem. Calvinus in commentariis ad omnes epistolas Pauli praeclare: „Non aliam quaero (subaudi: ego Paulus) potestatem, neque appeto, quam quae mihi a Domino collata est, ut *serviam veritati*: pseudapostolis — — (non) curae est, sua potestate uti in bonum“. Winerus de Calvino verissime: „miram in pervidenda apostoli mente subtilitatem, in expo-

tate enim (praecipue Christiana,) quid quaeso pulchrius est? Alteram legem dico eam, ut quaecunque historica proponenda erant, ex fontibus ipsis, imprimis Tertulliano, haurirem, quin, sicubi necessarium visum erat, presbyterum hunc Carthaginiensem loquentem inducerem; nisi quod, si qua ejus verba, ut assolet, obscuriora erant, protinus magis perspicuis interpretatus sum. Quamquam nimium contendere videtur Scaliger, „maximam" esse laudem docens, „si quis claris et puris verum describat verbis". Cum altera lege propius conjuncta est tertia: nimirum ut, quotiescunque haeretici, quo de agitur, afferrem commenta, simul, dummodo id fieri posset, inania ista argumenta exponerem, per quae, ut proloqueretur, adductus erat. Minime me praeterit, multas praeterea leges historicis, praesertim ecclesiasticis, observandas esse; sed quoniam eis, quarum mentionem supra injeci, a gravitate pares non sunt, satius est praetermittere, ne prolixior, quam aequum est, fuisse existimer. Quid? quod liber singularis de legibus hisce facile exarari potest. Modo contigerit mihi, ut, quas eloquutus sum, eas non migraverim!

---

nenda perspicuitatem probavit". Videsis theologi Erlangensis annotation. perpetuam in epistol. ad Galat.; edition. III.

Idem nihil diffiteor, me nonnullas opiniones haeretici, utpote quae minoris momenti essent, ea ex caussa omisisse, quia ab viris quibusdam eruditis, qui universam historiam ecclesiae Christianae in operibus amplis tractavere, verbi caussa a Natali Alexandro [1]), copiosius jam expositae sunt. Si ad unum omnia, quaecunque ab iis super Hermogene relata sunt, repetivissem [2]), scriptum meum jure meritoque diceretur supervacaneum. Accedit, ut elegantis illius vocis in mentem veniret, quam fudit Cicero lib. I de invention. rhetorica 41: „Omnibus in rebus similitudo satietatis mater" [3]). Contra operam navavi, ut istiusmodi

1) Tum demum, ubi libro huic meo colophonem, uti est apud Festum, addideram, in manus meas venit scriptio, non sine eruditione atque acumine mentis exarata: „Geschichte und Lehrbegriff der Unitarier vor der nicänischen Synode, kritisch und pragmatisch nach den Quellen bearbeitet von Dr. Lobegott Lange, Prof. reliq. zu Jena". Quae super Hermogenianis et Hermogene ibidem (vide pag. 30 sqq.) prolata sunt, eorum lubentissime habuissem rationem, si copia libri prius mihi fuisset facta.

2) Seneca libr. I de vita beata nervose: „Praestandum est, — ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur."

3) Sententia Ciceronianae fere parallela, ut ajunt, in ore Galli nescio cujus deprehensa est: „Le secret d'ennuyer est celui *de tout dire*".

decreta Hermogeniana fusius traderem, quae gravioris momenti sunt, et quibuscum alia multa sunt connexa. Quorum quoniam nonnulla sic comparata videntur esse, ut falsa veritatis specie hunc illumvè etiamnum fallere queant, crebrius demonstrare studui, quas ob caussas valere nequeant. Rursus consentaneum erat, me eas, quae adeo absurdae sunt, ut hodieque nemini homini arridere possint, verbi gratia nonnullas ad locos de Christo Jesu, deque extremis rebus pertinentes, sic proponere, ut non convincerem multis. Quia autem Hermogenes non Satanas quidam erat [2]), i. e. imagi-

2) In comperto est, Hildebrandum, qui post cathedrae Romanae insidens, Gregorius VII audiit, a Petro Damiano episcopo, propterea Satanae titulo affectum esse, quia, Petro in hac illave parte repugnans, (recorderis Hebr. vocem „satan", odio habere,) eundem, ut sibi tandem assentiretur, cogeret; licet Petrus adjectivum „sanctus" titulo quasi per oxymoron subjungeret, utpote animadvertens, Hildebrandum in rebus clericorum ac laicorum ordinem, sibi scilicet probatum, conservatum ire. Reperias apud Joann. Frid. Guil. Thymium, tom. I libri, qui inscribitur: „Historische Entwickelung der Schicksale der christlichen Kirche und Religion für gebildete Christen" pag. 266: „Da der römische Hof zwanzig Jahre hindurch keine Sache von Wichtigkeit ohne seinen Rath (i. e. Hildebrandi,) und ohne seine Vermittelung unternahm und ausführte, so war es bei seinem weitumfassenden, wirklich großen Geist kein Wunder, daß er sich einen

nem Dei [1]); quamvis erroribus atque peccatis obscurata esset, non penitus habebat exstinctam, certe fieri non poterat, quin vel bona aliqua ac proba pronuntiaret. Et quum quicquid verum ac bonum est, ad sanctum Dei Spiritum, qui in hominibus, per eosdemque efficax est, tanquam ultimum ad finem referri debeat, (quomodo tum Literae sacrae, tum conscientia Dei, nobis inhaerens, aperte docent,) equidem deesse mihi non potui, quin Hermogenis bona agnoscerem, praesertim quum ea agnitio tantummodo in honorem Spiritus divini cedat. Quod est Borussici cujusdam ordinis insigne: „Suum cuique"! id in rebus quoque theologicis nullo non tempore retinendum. Ego vero propter id ipsum a partibus eorum

---

Schatz der feinsten Weltkenntniß und Politik einsammelte, der sich denn bei ihm mit einer unbegränzten Herrschsucht, mit einer seltenen Standhaftigkeit und Entschlossenheit — — vereinigte". Quin Schroeckhius pag. 197 historiae religionis et ecclesiae Christianae, edit. II vocat Gregorium pontificem „omnium ferocissimum et dominandi cupidissimum".

1) Subtile Thomae Aquinatis, doctoris angelici, judicium si respicias, Christus solus *absoluta Dei imago*, homines autem (quod rationem eorum et voluntatem attinet,) ad hanc imaginem expressi, seu *imitagines* sunt. Similiter docent Graeci quidam patres, quemadmodum in Christo *ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ* sit, ita in hominibus *λογικόν τι*.

stare non sustineo, qui haereticos ecclesiae antiquae pro arbitrio suo faciunt ὀρθοδόξους, alteraque ex parte ὀρθοδόξους tanquam haereticos repraesentant. In hoc vitium, quod caritatis (!?) appellaverunt, pius Godofredus Arnoldius sexcenties incurrit, nisi quod in hoc theologo Speneriano tanto magis excusandum venit, quo acrius ab ὀρθοδόξοις ecclesiae Lutheranae impugnatus est. Caeterum ego nullus timeo cum Hieronymo, ne quis iccirco, quia de haeretico scripserim, me ipsum decernat esse haereticum, praesertim quum sat multi meae scriptionis loci possint esse indicio ac documento, me rectae fidei Christianae tenacissimum esse. Quid? annon Philastrius [1]), Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, quique sunt alii in antiqua ecclesia, et Schlusselburgius Sundensis (catalogum haereticorum, quem complures per tomos paravit, ob oculos habeo,) Walchius, caeteri in ecclesia recentiore, haereticos tractavere, et nihilo tamen secius inter eos, qui veram doctrinam Domini profitentur, continenter numerati sunt? Immo persuasum mihi habeo, posse eum denique justum super falsis opinionibus theologicis judicium ferre, qui veram illam doctrinam bibli-

1) Caussam, quare Philastrium ponam, in nota appendicis posterioris pag. 182, 183 indicavi.

cam probe perspexerit [1]). Alioquin deficit genuina norma, juxta quam judicandum est [2]).

De utraque libri appendice, tantum abest, ut argumentum ejus a summa libri prorsus alienum sit, ut, quemadmodum e collatione accuratiore apparebit, cum sententiis libri plus minusve cohaereat. Si placuerit cuipiam, pro vocula „appendix" appellationem „excursus" adhibere, equidem non repugnabo.

Quod singulis capitibus, in quibus persequutus sum quaecunque Hermogenem attingunt, tales anteposui sententias, quae verna-

---

1) Bene convenit cum hac sententia id, quod ait ἀνώνυμός τις: „L'esprit est bien en l'homme; mais c'est la grace de l'Eternel, qui (si caelestia spectes; et Christiana doctrina est caelestis,) le rend intelligent". Fundit haec album celebris Lavateri. Est apud Paulum (I Corinth. 2, 14) contrarium: „ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ".

2) Qui Formulam quidem Concordiae literis consignaverunt, ii in ipsius principio egregie: „Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata, omnesque doctores aestimari et judicari oporteat, nullam omnino aliam esse, quam Prophetica et Apostolica scripta, cum Veteris, tam Novi Testamenti, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum Tuum, et lumen semitis meis". Atque Gerhardus, rem non male limitans: „Ex *perspicuis* Scripturae locis colligitur regula fidei, ad quam reliquorum expositio conformanda". Videsis lib. II locor. theologic. cap. 4, § 61.

stare non sustineo, qui haereticos eccle-
tiquae pro arbitrio suo faciunt ὀρθοδόξους,
que ex parte ὀρθοδόξους tanquam haeret.
praesentant. In hoc vitium, quod carit
appellaverunt, pius Godofredus Arnold
centies incurrit, nisi quod in hoc theol
neriano tanto magis excusandum venit, q
ab ὀρθοδόξοις ecclesiae Lutheranae im
est. Caeterum ego nullus timeo, cum Hie
ne quis iccirco, quia de haeretico scrips
ipsum decernat esse haereticum, praeser
sat multi meae scriptionis loci possin
dicio ac documento, me rectae fidei
nae tenacissimum esse. Quid? [illegible]
strius [1]), Epiphanius, Augustinus, Th
quique sunt alii in antiqua ecclesia, c
selburgius Sundensis (catalogum hae
quem complures per tomos paravit,
habeo,) Walchius, caetera in [illegible]
tiore, haereticos tractavere et nil
secius inter eos, qui veram doctrin
profitentur, continenter numerati s
persuasum mihi habeo, posse eum
stum super falsis opinionibus theol
orum ferre, qui veram illam doctri

1) Causam, quare Philastrius [illegible] ponum,
dicis posterioris pag. 182, 183 [illegible] indicavi.

ut ejus-
ie ne in
tur, ve-
hellenisti-
n hoc ge-
erodamum
Aug. Erne-
Iarc. Tullii
et Frid. Aug.

t" (Nr. 52 an.

logi Lipsiensis
lidioris", quo-
irpat ibi voces:
e in praefatione
nis, inquit, vo-
ntis carere non
t: „non satis
simam et sexa-
ificet; sed *con-*
". Quod ad
m judicio po-
i illum locum
ub hoc saltem
ne dicitur *con-*
et sic deinceps:
inae formulam
sacrarum literarum
nde sumta sit,' et
remittere, quam ali-
centium incommodo in-
s: „rectangulus, paralle-
Ernestio usurpata sunt.

cule „Motto's“ nominantur, noli, lector carissime! mihi hac in re succensere. Quippe si alii auctores, nec pauci illi, dicta hujuscemodi sententiosa universis, quae edituri sunt, scriptis praeponunt, quidni in singulis paragraphis librorum idem committere liceat? Angustiores in hac re fines constituere velle, vide, ne arbitrium quoddam sapiat. Modo accommodata sint abrupta dicta! „Ein abgebrochener Gedanke — sic recte legitur apud ingeniosum Hippelium, — bringt andere zum Denken“!

Quod attinet ad Latinum, quem in exarando libro usurpavi, sermonem [1]), primum extraordinaria aliquot verba adhibui i. e. talia, quae apud classicos scriptores (ceu inde a temporibus Gellii loquuntur,) rarius obvia fiunt; eadem vero, ne a quopiam existimentur barbara, itaque offensioni cuipiam sint [2]), in notulis, ubi inveniantur, brevibus aperui. Deinde haud infi-

1) Exstat Scheringsonis scriptio, ann. 1791 Upsal. foras missa, cui titulus: „De sermonis Latini eruditas inter linguas *principatu*“.

2) Accidit hoc viro illi, quantumvis erudito, qui censuram „Isagoges meae in epistol. a Paulo — ad Colossens. datam“ caet. eis ephemeridibus inserendam curavit, quae inscribuntur: „Allgemeine Kirchenzeitung reliq., herausgegeb. von Ernst Zimmermann“ (Cf. das theologische Literatur-Blatt Nr. 183, Freitag am 25. Decbr. 1829). At vide etiam ea, quae contra monui in ephemeridibus a Tholuckio editis, quibus nomen: „Literar. Anzeiger für

tior, me necessitate adductum esse, ut ejusmodi vocabulis hic illic uterer, quae ne in classicorum quidem ore deprehenduntur, veluti: patripassianismus, diabolus, hellenisticus, speculativus, alia. Sequutus in hoc genere sum non solum Erasmum Roterodamum ac Melancthonem, verum etiam Jo. Aug. Ernestium, felicissimum caeteroquin Marc. Tullii in Latine scribendo imitatorem [1]), et Frid. Aug.

---

christl. Theologie und Wissenschaft überhaupt" (Nr. 52 an. 1830, den 2. Juni sqq.)

1) Ut unum saltem opus celeberrimi theologi Lipsiensis afferam, exstant ejus „initia doctrinae solidioris", quorum editio quarta ad manus est. Usurpat ibi voces: „milliones billiones", quas, quomodo ipse in praefatione fatetur: „latini ignoraverunt"; sed „his, inquit, vocabulis ad compendium numerandi inventis carere non poteramus". De gradus vocabulo ait: „non satis latinum esse scio, hoc sensu, ut trecentesimam et sexagesimam ambitus circularis partem significet; sed *consuetudini* — aliquid erat concedendum". Quod ad conscientiam attinet, „quae in actionum judicio ponitur", declarat: „etsi veteres totum illum locum nostrae philosophiae de conscientia, sub hoc saltem nomine, non habent, neque satis latine dicitur *conscientia bona et mala, certa et dubia*, et sic deinceps: tamen maluimus recentioris disciplinae formulam in eo sequi, praesertim quum ea *sacrarum literarum dictioni consentanea* atque adeo inde sumta sit, et aliquid de puritatis diligentia remittere, quam aliquid verborum caussa cum discentium incommodo innovare". Praetermitto voces: „rectangulus, parallelepipeda", quaeque alia Ernestio usurpata sunt.

Wolfium, qui, quum libros Ciceronis de natura Deorum me audiente interpretabatur, palam dicere haud gravatus est: si quando una eademque cogitatio permultis tantum ambagibus vocularum Romanarum exprimi posset, se quidem, ut ambages, sibi vehementer odiosas, effugeret, significandae sententiae unum potius vocabulum, quamquam minus classicum, adhibere. Ambages mihi quoque magnum taedium creant. Breviloquentiam tanto acrius consectandam esse reor, quo major est copia eorum, qui hoc ipso tempore per typos exscribuntur, librorum. Insuper si ignoscitur dogmaticis theologis, quod gravissimas voces latinitatis ecclesiasticae, velut patripassianismus, ponunt, haud scio an aequum sit, idem iis concedi, qui historiae et dogmatum Christianorum et opinionum haereticarum enarrandae operantur. Tum Graeca Latinis, quamquam haud ita saepe, immiscui, vestigiis Ciceronis, qui idem in epistolis ad Atticum toties faciundum sibi putavit, insistens. Et Cicero princeps est aetatis aureae scriptor! Nec vero haec agendi ratio ei, ut opinor, adeo magno vitio vertendum, qui libros Novi Foederis, per publicas lectiones academicas exponendos, diurna nocturnaque manu versat, et cujus memoriae voces ac phrases sacrorum auctorum eo fa-

cilius mandantur. Ne hoc quidem urgere placet, fuisse eundem morem magno Ernestio adamatum [1]). Postremo lectores benigni brevi tempore animadvertent, Hebraea verba, quae hoc in libro efferenda mihi erant, Latinis duntaxat literis esse allegata. Cujus rei gratia ut ne quis mihi ignorantiam sanctae Hebraeorum linguae festinantius exprobret, monendum est: me sic ideo facere oportuisse [2]); quia honestissimum illum virum et aestumatissimum, qui „Hermogenem Africanum" in hac urbe imprimebat, accommodata proh dolor! ac necessaria typorum Hebraicorum multitudo deficit.

---

1) Ego in ea, quam modo laudavi, scriptione viri deprehendo Graeca: „σύστημα, δογματική, φιλοσοφούμενα, ἀκρίβεια", cum Romanis (vel in praefatione) composita.

2) Idem aliis recentioris memoriae auctoribus accidit, verbi causa Frider. Junckero, in scripto: „Historisch-kritischer und philologischer Commentar über den Brief Pauli an die Colosser", inspice praefat. pag. VI. Veluti posuit pag. 80: „ἠγαπημενος oder μονογενους Hebr. jachid, bechur" (rectius bachur); pag 82: „ἔχειν," hebr. lakach"; pag. 86: „Adam wird in der Bibel selber das Bild Gottes (zelem Elohim 1 Mos. I, 26, 27) genannt". Quid? quod vel Tholuckius, (quem quicunque sine praeconceptis opinionibus judicat, fatebitur linguarum orientalium peritissimum esse,) pag. 141, 142 scripti praestantissimi: „Die Lehre von der Sünde" caet. „den Glanzschein der dürren Sandesfläche", per quem sitiens viator regionum orientalium nonnunquam sic decipitur, ut solum arenosum aquam esse putet, „scharab (im Hebräischen")" nuncupat. Labor unum adhuc

Sane mihi non adeo gratum fuit, Hebraica typis exscribere Latialibus, praesertim quum quicquid vocabulorum Veteris Instrumenti in reliquis meis libris, licet Berolini, Lipsiae, Halae impressis, occursat, per formas literarum Hebraearum reapse exscriptum sit. Non metuo, ne inanem cuipiam gloriolam aucupari videar, si id, quod modo dixi, probaturus, jam libros meos cito: „De Hypsistariis opinionibusque, quae super eis propositae sunt“ pag. 70; „Einige Bemerkungen zu den von dem Herrn Prof. Ullmann und mir aufgestellten Ansichten über den Ursprung und den Character der Hypsistar.“, pag. 42; „Isagogen“ supra allegatam pag. 235, 239, 240, 242 al., ut nonnullas alienorum librorum censuras praeteream.

Minime me quidem latet, hanc scriptionem ab eo, quem animo mihi informaveram,

---

libellum afferre, qui inscribitur: „Einige Bemerkungen zu der erst erschienenen Schrift: „„Die Opfer des alten Testaments und ihre neutestamentliche Bedeutung für Schriftforscher““; auch für Schriftforscher von Hermann Müller, Pastor Primarius caet. Bremen 1832“. Hic legitur pag. 34: „mincha“ (Speisopfer, uti vulgo ajunt); pag. 20: „kadosch Jehova“ et ante: „chasid“ (clemens); pag. 17: „Das hbr. Wort sabal heißt leiden, erdulden, vgl. Klagl. Jerem. 5, 7“. Non poenitebit, novam hanc scriptionem perlustrasse, ut cujus indoles, quamquam [illegible], in universum tamen vere evangelica sit.

perfectionis gradu longe abesse [1]), immo me in hac illave parte lapsum [2]). Etenim non labi, non peccare in Deum ejusdemque Christum cadit; contra in homunculos, dum in mortali hoc corpore versantur, errare ac peccare. At spero, aequos lectores veniam daturos esse, ubi cognoverint, me etiam gravibus doloribus corporis pressum atque adeo temporibus ejusmodi, quibus periculosae operationes, quas χειρουργικὰς fere vocant, subeundae mihi erant, librum contexuisse. Scio, quaque par est modestia in extremo libro professus sum, scripsisse me in majorem Patris caelestis, cui per Christum tot tantaque debeo! gloriam. Quodsi liber nihilo tamen secius iniqua judicia, et quae animum veritatis parum amantem prodant, expertus fuerit [3]), novi, quid calamitates (Deo

1) Quadrat heic vox Chrysostomi: „Δεινὸν ταύτης γλίχεσθαι τιμῆς".

2) Vel Ambrosius, episcopus Mediolanensis, (qui vir et quantus!) libr. IV epistolar. 49 docet: „Unumquemque fallunt sua scripta et auctorem praetereunt". Effato quis est, quin, si quando quid scripsit, adstipuletur?

3) Contra, simulatque errorum ab aliquo „ἐν ἀγάπῃ" (IV Ephes. 15) convicti fuerimus, „facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseverasse, turpe est; propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum". Verba sunt Ciceronis, e lib. II de invent. rhetorica, cap. 3 petita.

cunctas res humanas sapientissime moderante [1]) mortalibus prosint; novi, quid mihi frequenter jam profuerint. Davides Chytraeus, eximius plane theologus Rostochiensis, idemque, cujus vita, facta, fata, placita hic potissimum temporibus in singulari quodam opere describantur, dignissimus, alicubi ait praeclarissime [1]): „Nec totius orbis terrae, nec astrorum caelestium cognitio, non linguae, non patres (subaudi: ecclesiastici), non sacrarum Literarum lectio assidua, denique non excellens eruditio, et eloquentia bonum theologum faciunt, *nisi crux accedat*". In caussam ejus rei si inquiras, crediderim: eum denique, qui animum adversis rebus afflictum habeat, tum penitius sentire, quantam vim consolatoriam palmares Christianae religionis doctrinae habeant, quantique aestumandae sint, tum vero eas ob hoc ipsum tanto studiosius amplecti, tantoque constantius retinere.

Est forsitan, qui praefationem pro ambitu libri, cui anteposita est, longiorem esse contendat; sed multa in praefatione dicenda habui, nec tamen omnia per angustias loci dicere potui. Scribebam in Gryphiensi literar. universitate a. MDCCCXXXII.

---

1) Christus ipse, „ὁ δίκαιος τοῦ Ἰσραὴλ", ad discipulos illos, quibuscum Emmauntem se contulit, sic loquutus est: „οὐχὶ — ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ"; (cf. XXIV Luc. evgl. 26.) Neque vero ignoro, discipulum magistro praestantiorem non esse.

ARGUMENTUM LIBRI.

Appendix altera.

HERMOGENES MATERIARIUS.

§ I.

Introductio.

„Scimus ecclesiam spe, fide, charitate — inexpugnabilem.“ JOVINIANUS.

Occurrit quidem apud Quintum Septimium Florentem Tertullianum, quem in opinionibus Hermogenis exponendis sexcenties citabo, cap. VI libr. de animae testimonio vox haec memoratu dignissima: „Omnium gentium unus homo, varium nomen est: unus spiritus, varius sonus, propria cuique genti loquela, sed loquelae materia communis“. Ast noli putare, magnam eam sententiam Christiana demum revelatione cum mortalibus communicatam; etenim jam inter homines paganos, in quibus omnino haud

pauca aeternae veritatis vestigia conspicua sunt 1), quodammodo reperitur. Nam Thucydides libro primo egregii sui monumenti historici ponit: „διαφέρειν οὐ δεῖ νομίζειν ἄνθρωπον ἀνθρώπῳ." Apparet ex isto effato caussa, quare temporibus admodum diversis sancta religio Jesu Christi ab adversariis, si indolem eorum spectes, perquam similibus, ne dicam iisdem petatur, et in singulis adeo partibus corrumpatur 2). Exempla, quorum ope id comprobetur, bene multa ex historia, quam vocant ecclesiasticam, facile afferri possunt. Missos nunc facio Alogos, Arios, Samo-

---

1) „Sicuti Aegyptii non solum idola habebant, et onera gravia, quae populus Israeliticus detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto sibi potius tanquam ad usum meliorem — vendicavit, — sic doctrinae omnes gentilium non solum simulacra et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quae unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari atque vitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum aurum et argentum (quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae Providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt,) debet ab iis auferre Christianus ad usum justum" caet. Quae quidem praeclara eloquutus est Aurelius Augustinus in lib. II. cap. 40 operis, quod inscribitur: „De doctrina Christiana."

2) Recordor equidem illud, quod usu tritum est Veteris Instrumenti dictum: „Nil novi sub sole."

satenos, Marciones Antinomos, qui recentiore pariter atque antiquiore memoria in finibus venerandae ecclesiae Christianae exorti 1) sunt, in quibusque „os biblicum et animus biblicus" plus opinor minusve desideratur. Sufficiat unius prae caeteris exempli mentionem paulo prolixiorem fecisse! Qui saeculo proxime praeterlapso aeternae alicujus materiae amici extiterunt 2), unde videlicet mundum 3) volebant a

---

1) Alogorum, qui in Anglia prodierint, recentiorum mentionem injicit pius Lampius Tom. I. p. 132, 146 eruditi commentarii et analytico-exegetici in evangelium Joannis, Basil. 1725, novorum Arianorum auctores formulae concordiae pag. 704, 709 editionis ejus librorum ecclesiae evangelicae symbolicorum, quam primam Tittmannus accurate nitideque paravit. Vide et Wolfii curas philologic. in IV evangelia caet. ed. II, p. 780. Legitur in primo fidei Christianae articulo, quam exhibet celeberrima confessio Augustana: „Damnant (scil. ecclesiae evangelicae) et Samosatenos — Neotericos, qui quum tantum unam personam (scil. in Divinitate) esse contendant, de Verbo et de Spiritu sancto astute et impie rhetoricantur, quod non sint personae distinctae, sed quod Verbum significet verbum vocale, et Spiritus motum in rebus creatum". De Antinomis aetatis recentioris iisque Marcioni Pontico quopiam respectu paribus haud male disseruit Aug. Hahnius commentatione Regiomont. Boruss. a. 1823 publici juris facta: „antitheses Marcionis gnostici, liber deperditus, nunc, quoad ejus fieri potuit, restitutus".

2) Quos inter verbi gratia Reimarus refertur, cujus exstant „Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion". Non aeque accommodate citetur hoc loco Wielandius, auctor „der neuen Göttergespräche,"

summo Numine procreatum, vel rectius ut loquar, formatum 1), nonne veteri quaeso Hermogeni respondent, qui, si Tertullianum cap. I libri advers. Hermogen. audias, materiam posuit, „quae ipsa semper fuerit, neque nata neque facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia posthac fecerit.“ Verum enimvero doctrina Christistiana, quae est caelestis ejus vis et natura, quamvis vel gravissima ejus placita, ut de peccato hominibus insito deque Jesu generis humani redemptore et salutis aeternae reconciliatore, perversis erroribus permisceantur, tamen adeo non 2) in perpetuum op-

---

quorum pag. 172 Jupiter haec et talia ad Numam fari sistitur: „Keiner von uns Olympiern, wie lange wir auch schon hier oben sind, und wie weit unsere Blicke reichen, vermag einen Zeitpunct anzugeben, da dieses unermeßliche Ganze zu seyn angefangen hätte, dessen Daseyn vielmehr der überzeugendste Beweis ist, daß es nie anfing“ (???). Sed haec sententia, an sit Wielandii ipsissima, merito quaestio est. Caeterum cf. subtilis Heydenrichii „Betrachtungen über die Philosophie der natürlichen Religion“, tom. II. pag. 162.

3) Mundum eadem ego ratione definierim, qua amplissimus et celeberrimus Stagyrita: „*Κοσμος ἐϛι συϛημα ἐξ οὐρανου και γης και των ἐν τουτοις περιεχομενων φυσεων*“. Inspice cap. I scripti de mundo.

1) Robertus Fluddus productionem seu generationem cujuslibet rei — „in tantum dicebat ex nihilo esse, in quantum esset ex tenebris seu materia, quae ipsi appellabatur nihil“. Mira ista Gassendo sunt notata in examine philosophiae Fluddanae.

2) „Ullis machinis aut cujusquam hominis ingenio aus

primi, nedum deleri potest, ut iis ipsis, quibus contra fas inquinata est, commentis flagitiisque per viros Deo consecratos serius ocius depulsis, majorem saepenumero, quam per tempus longum habuerat, simplicitatem non sine magno beneficio Dei recuperet. Quippe (uti egregie ait Joannes Hussus, beatus ille μάρτυρ in eximiis, quas ad Pragensem suam ecclesiolam 1) dedit, literis): „ea est vis veritatis, ut quo magis veritatem obscurare studeas, eo clarius et violentius effulgeat 2)“. Veritas si tota perire posset, Deus, qui est veritas aut ex quo profecta est veritas, perire ipse posset, quod quidem sumere, germanam Dei ideam reapse tollit: id quod quisquis sana mente instructus est, lubenter agnoscet.

---

§ II.

Ubi et quando vitam degit Hermogenes?

„Die Grundsätze —, nach denen man bei jeder Un=

---

arte subverti," quomodo exstat apud Jacob. Crucium, rerum experientia praeditum, lib. II epistol. pag. 112.

1) Liceat vocabulo uti Speneriano eoque hic vehementer apto.

2) Testis est sacrorum Christianorum a Luthero perfecta reformatio. „Die Kirchenverbesserung, quemadmodum Tzschirnerus contendit, ist eine Offenbarung der erziehenden Weltregierung Gottes“. At hoccine in unamquamque propagationem divinae veritatis cadit?

tersuchung fragt, sind: quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?“ Ita censor quidam in den Göttinger gelehrten Anzeigen 1).

Nomen Hermogenes Graecum proprie: Ἑρμογένης, quae compositio, quomodo verbis Ἑρμῆς 2) (seu citra contractionem Ἑρμέας) atque γένος efficitur, sic ejusmodi virum denotat, cui a nuncio illo et exsequutore mandatorum divinorum, quem Romani Mercurium vocitant, genus repetendum est. Hermogeni sedes, uti ex libro Augustini de haeresibus cap. XLI elucet, Africa fuisse fertur, et haud scio an ista fuerit Africae pars, quae prope a Carthagine sita erat, ubi Septimius suum contra haereticum libellum exaravit. Facit pro hac sententia descriptio Hermogenis cap. XXVI advers. Hermog. 3). Certus, quo is floruerit, annus a nemine, quod sciam, scriptore antiquo commemoratur. Superstitem fuisse hominem eo temporis spatio, quo a Tertulliano petitus est, inde emergit, quod pater ecclesiasticus cap. I advers. Hermog. tum doctrinam ejus „novellam“, tum hominem „ad hodiernum (nempe diem) in saeculo“ 4) esse tradit. Jam vero Tertullianus eo,

1) Im 125. Stück vom 9. Aug. 1830.

2) Dorienses ajunt Ἑρμᾶς.

3) Petr. Tetens Hald, theolog. Licent. part. I. historiae ecclesiasticae synoptice enarratae Hafn. pag. 9: „Hermog. — — Carthagine, ut videtur, degit“.

4) Sicuti Hebr. Olam et hellenisticum αἰών, ita Latiale

quem dixi, libello cum Hermogene videtur depugnasse, posteaquam ad αἵρεσιν Montanistarum circa initium saeculi post Christum natum tertii semet contulerat; nonnulla quippe Montanismi, quem vocant, vestigia in libro, ut cap. I, haud dubie deprehenduntur. Unde initio fere tertii saeculi praeterlapso (de sententia quidem Pamelii: anno ducentesimo sexto) liber advers. Hermogenem conscriptus esse 1), et is ipse vixisse existimandus est. Ex se autem intelligitur, potuisse haereticum etiam per longum tempus saeculi secundi vitam agere 2).

---

saeculum apud hunc illumve scriptorem significat: mundum.

1) Scriptionem, qua Valentinianos factionem gnosticam antesignanam aggressus est, confecit Tertullianus, simul atque in communionem Montanistarum sua sponte receptus erat, quandoquidem cap. V Proclus, assecla Montani, apud Tertullianum audit „noster". Legitur ibidem cap. XVI: „materia, quae nos commisit (non committet) cum Hermogene" caet.; pertinet τὸ commisit ad opusculum Hermogeni a Septimio oppositum, idque aperit ante scriptionem advers. Valentinianos contextum.

2) Invenitur in annalibus ecclesiast. Caesaris Baronii tom. II, pag. 185. edit. Colon. Agrippin.: „quod tam Philastrius (scil. cap. XLV libr. de haeres.) quam Augustinus (LIX de haeresib.) nonnisi quum agunt de Sabellianis, de Hermogene memorant, accepta est a quibusdam erroris occasio, ut putarint, post Sabellium vixisse Hermogenem"! Ergo post medium saec. tertium, quasi vero Tertullianus tunc temporis vita adhuc fruitus sit!

§ III.

De ingenio ac studiis haeretici.

„Nihil est in voluntate, quod non fuit in intellectu sive bene sive malo informato.“

Tertullianus, dum cap. XXXII advers. Hermog. de quibusdam hebetibus verba facit, an Hermogenem etiam tacite sit designaturus, sane incertum judicetur. Idem cap. III „non intelligentes“ memorat, „quorum (ut disertis vocabulis ejus utar,) Hermogenes extrema linea est.“ Recordanti mihi Horatianum illud: „mors ultima linea rerum est“, Tertullianus imagine ab arte pingendi, quam revera exercebat Hermogenes, petita, hoc dicturus esse videtur: haereticum tenere ultimum inter non intelligentes locum, sive unum omnium non intelligentium minime intelligentem esse. Quod judicium quis est, quin existimet plane immoderatum? Hoc duntaxat concedendum, Hermogenem non tam intelligentem fuisse, ut quam absurda ex opinione de materia quapiam sempiterna fluerent, accurate perspiceret. Hominem non sine ingenio ac mentis quadam subtilitate fuisse, argumentis, ut opinor, aliquibus probatur, per quae opinionem confirmatum ibat. Revera dolendum, quod acutum viri ingenium, quamquam nescium, propagando et stabiliendo tenebrarum regno, quomodo ait scriptura sacra 1), inserviebat.

---

*) Paulus verbi causa I Col. 13 ait: „ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους,“

Scriptum exstat cap. I adversus Hermogenem: „a Christianis enim conversus ad philosophos, de ecclesia in academiam 1) et porticum, inde sumit" caet. Hinc cave conficias, Nostrum a religione Jesu Messiae prorsus recessisse et paganam professum 2); nam ita si res habuisset, adversarius credo ecclesiasticus conatus non esset, Hermogenem rationibus e bibliis sacris desumptis refellere. Vox illa hoc solummodo, ni fallor, aperit: Hermogenem a fide

---

qua de particula confer, quodcunque in Isagoge mea in epistol. ad Coloss. pag. 266 sqq. prolatum est.

1) Philosophia Platonis tempestate Hermogeniana ab haud paucis habita est praestantissima.

2) Quod Hermogenes, quum Septimius virum adoriebatur, addictus Christianis sacris erat, ex hoc quoque effato Septimii cap. I dubio procul elucet: „Christum dominum non alium (non Mosen rel.) videtur (scilicet mihi) aliter (nimirum quam Christiani rectae fidei) cognoscere, alium tamen facit, quem aliter cognoscit". Tenuit itaque Hermogenes tanquam haereticus aliquam cognitionem Christi, qua cum religione Christi cohaerebat. — Liceat adjicere haec: Hermogenes alius, quin a Nostro plane diversus, qui aevo Apostolico exortus est, II Timoth. 1, 15 inter eos numeratur, qui Paulum (με) ἀπεστράφησαν. Necessarium non est statuere, ipsum hunc a religione penitus recessisse, siquidem in hoc subsistere queas, quod ut αἱρετικὸς deseruit Paulum ejusque placita aliquot singularia abjecit. Eatenus in regula (scil. fidei apostolicae) Hermogenes iste non perseveravit, ut verba Tertulliani adhibeam (cap. I). Simile quid vel apud complures recentioris aetatis theologos locum habuit, nisi quod exempla sunt odiosa.

ecclesiae Christianae probata in nonnullis locis discessisse, seque ad decreta aliqua Platonicorum philosophorum atque Stoicorum convertisse. Et haec quidem decreta reliquae πίςει ecclesiae καθολικῆς admiscuit! Arbitraria vero est, quae a Baronio, post Cardinali, tom. II annal. ecclesiastic. pag. 184 affertur conjectura: „Fortasse ut adularetur Imperatori, Stoicam philosophiam profitenti, (dicit Baronius Marcum Aurelium Antoninum) ex schola Stoicorum Hermogenes ingenitam materiam in Christi ecclesiam invehere conatus est". Neque enim monumentis antiquitatis Christianae constat, Nostrum erga magistratus ethnicos adeo humiliter et abjecte se gessisse. Quisque autem praesumatur bonus, donec probatus fuerit malus, ut in proverbio est.

Idem, qui literis philosophicis magno cum studio operatus est, a Tertulliano plus vice simplici traditur pinxisse (veluti cap. I adv. Hermog., cap. II). Matthias quidem Schroeckhius, tom. III der christlichen Kirchengeschichte, pag. 182 ait 1): „Es bleibt — zweifelhaft, ob er (sc. Tertullianus) nicht das Wort malen, wie gleich in der folgenden Stelle, von kühnen Erdichtungen und Verfälschungen gesetzt habe 2); und das letzte Wort in seinem Buche ist ein ähnliches Wortspiel."

Jam dandum est, presbyterum Carthaginiensem vocula pingere figurate seu spirituali sensu hic illic

---

1) In manibus est altera eruditi operis editio.

2) Videtur Professor Vitebergensis prima capitis secundi vocabula significare.

usurpare; sed eundem, veluti in phrasi cap. I: „pingit illicite“ voculam proprie, id est de ipsissima arte picturarum faciendarum usurpare, annon hoc indicio est, quod ipsam hanc „artem“ item „cauterium“ paulo post commemorat? Quin imago pingendi, quare in libro adversus Hermogenem potissimum exarato *toties* posita sit 1), non apparet, nisi Hermogenem re ips pictorem fuisse statuas. Ad particulam illicite 2) quod attinet, Rigaltius 3) hoc pacto accepit, ut Hermogenes post susceptum nomen Christianum nihilominus „simulacra Deorum utique falsorum“ pinxisse credatur. Verum possis tamen suspicari, hominem haereticum de particula ista „obscoena ignominiosaque“ pinxisse. Quodsi Tertullianus cap. I advers. Hermog. adjungit: „legem

---

1) Sic cap. XXXVI reperias: „si tam rectas lineas ducis Hermogenes! quam ratio ista est, (id est per sarcasmum sive ironice: si tam flexuosas lineas ducis, quam sententia tua est contorta) pictor te bardior (i. e. stultior) nemo est“.

2) Lectio „licite,“ cui Beatus Rhenanus Seletstadiensis, editor Tertulliani celeberrimus, suffragatur, interni argumenti caussa improbanda; nempe in tali loco, quo ista tantum enumerantur, quae Tertulliano judice in Hermogene reprehendenda erant, quomodo ea quaeso notitia accommodata erat: quae pingat Hermogenes, licita esse?

3) In nota aliqua ad cap. I advers. Hermog.; confer Nanum Tillemontium in opere doctissimo: „Memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique des six premieres siecles“, ed. Bruxelles, tom. III part. I pag. 110.

Dei — in artem contemnit", lex aut ea intelligenda est, qua Israelitae jubentur ab imaginibus Deorum fictitiorum, saltem rerum creatarum et fingendis, et adorandis abstinere, (videsis Exod. XX, 3, 4, 5; Deuteron. IV, 16, 17—19; V. 7—9; XVII, 15), aut in universum sacrae Dei literae, quarum indole adeo, quae purissima ac sanctissima est, libidinosa pingere vetantur homines. Ne multa! contemsit Hermogenes legem reapse divinam, dum in idolis rebusve obscoenis pingendis artem sibi adamatam exercet.

---

§ IV.

Mores haeretici quales fuerint, disquiritur.

„Sui cuique mores fingunt fortunam".

Vocat Septimius Hermogenem (cap. I) natura quoque turbulentum *), id est eum, qui in semetipso inquietus sit, et ad turbas in ecclesia forsitan edendas feratur; hominem porro, qui loquacitatem suam facundiam existimet et impudentiam constantiam deputet, hoc est, qui aut id ipsum, quod in dictis suis

---

*) Cum hac voce Tertulliani contendenda est alia, quae cap. XLV advers. Hermog. obvia fit: „Hermogenes eundem statum describendo materiae, *quo est ipse*, (nimirum) inconditum, confusum, turbulentum, ancipitis et fervidi motus, documentum artis suae dum ostendit, ipse se pinxit".

etiam falsis citra pudorem persistat, aut id, quod turpiloquiorum 1) suorum nunquam sese peniteat, constantiam esse judicet. Per nexum quidem orationis tum illa, tum haec ratio interpretandi locum habere potest. Praeterea sistitur vir, qui maledicere singulis officium bonae conscientiae, i. e. (quemadmodum ait Ovidius) pectoris candidi putet. Jam sane in confesso est, Septimium gravissimum sese ac vehementissimum haereticorum, veluti Marcionis, adversarium praebuisse, (nec vero apta erat haec ratio, qua haeretici possent convalescere). Vere observat Beatus Rhenanus 2): „acriter instat atque urget (sc. Tertullianus) hominem (Hermogenem) ubique“ 3); neque ego eam infitias, presbyterum Carthaginiensem nonnulla haeretici vitia verbis nimis duris ex-

---

1) Utitur vocula, quae Paulinae (III Coloss. 8) *αἰσχρολογία* aperte respondet, cap. XVII de pudicitia.

2) Pag. 330 operum Septimii, Basileae MDL editor.

3) Legitur apud Marezollum alicubi: „Der wahre Religionseifer ist duldsam aus Menschenliebe, weil sie das erste und vornehmste Gebot im Gesetz, und die schönste Eigenschaft, wie das schönste Kennzeichen des Christen ist.“ Ad quae equidem annotaverim: nominat Jesus Christus praeceptum: „*ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν*,“ cap. XXII v. 39 *τὴν δευτέραν*, alterum contra: „*ἀγαπήσεις τὸν Θεὸν ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου*,“ ibidem vers. 38: „*τὴν πρώτην καὶ μεγάλην*,“ dicit. Ad hoc genuinum religionis studium homines qua tales profecto fert, verum nec falsas super religione opiniones, nec vitia, quae hominibus insunt.

pressisse; at quae huic objiciantur vitia superiora a Tertulliano *nonnisi* esse excogitata, persuadere mihi non sustineo. Alia fortasse ratio est alius probri, haeretico a Tertulliano in vocabulis: „nubit assidue“ illati. Licet sine dubio accipere de Hermogene, mulieres uno eodemque tempore plures in matrimonio habente. Appellat pater ecclesiasticus haereticum „carnis adulterum“, i. e. eum, qui adulteriis corpus impurum reddat. Sed de polygamia simultanea, ut in loquutione „nubit assidue“ cogites, certe haud necessarium est. Etenim in hoc effato nescio an vestigium aliquŏd haereseos Cataphrygum sit conspicuum, quos constat alteras nuptias peccati loco habuisse ac rejecisse 1). Quid igitur? si Hermogenes successivam, uti ajunt, polygamiam exercuit, i. e. post uxorem uxoresve defunctas iteravit honesta cum feminis honestis matrimonia, quae Tertulliano autem in castris Montanistarum militanti adulteria 2) et nubentium 3) contagium nuncupata

---

1) Deprehendas cap. XIV libri de monogamia, quem Tertullianus ut Montanista contexuit, hanc vocem; „si justum est, matrimonium non separari, utique et non iterari honestum est“.

2) Accommodate laudabitur cap. IV de monogam.: „quae haeresis, si secundas nuptias, ut illicitas, juxta adulterium judicamus? Quid est enim adulterium, quam matrimonium illicitum“?

3) Nubentium contagium est pernicies quaedam contagiosa, qua, qui iterum nupserunt, laborant. Invenitur apud Cyprianum, episcopum Carthaginiensem vigilantissimum, formula loquendi; „contagium mortis

sint 1)? Posteriorem hancce particulae, de qua sermo est, exegesin, ut anteponam priori, equidem praeprimis loco in cap. XVI de monogam. occurrente atque in nota 2 excitando adducor. Quodsi pater ecclesiae cap. I adv. Hermog. affirmat: „legem Dei in libidinem defendit" (nimirum haereticus), a verisimilitudine nihil abhorret, eum sacrarum literarum dictis probatum ivisse, desiderium matrimonia nova ineundi, immo ipsa nova matrimonia 2) neque Deo in-

---

antiquae", per quam moralis hominum miseria in alios transiens proponitur.

1) Bene monet de Rauscherus tom. I. p. 370 seiner „Geschichte der Christlichen Kirche": „bei den bittern Vorwürfen, die ihm (dem Hermogenes) Tertullianus darüber macht, (daß er sich nämlich mehrmals verheirathete,) darf man nicht vergessen, daß dieser sein Werk als Montanist verfaßte". Omnino non penitus aspernanda est haec historia ecclesiastica, licet catholica.

2) Hermogenes haud scio an infirmitatem carnis suae ceu caussam, cur sensim sensimque plures contraheret nuptias, attulerit. Tertullianus quippe caussam ipsam reprobat cap. XVI scriptionis de monogam. dicens: „Talis infirmitas (quae ante summa fortitudo patri ecclesiae nominata) et tertio et quarto et usque septimo forsitan matrimonio sufficit; ut quae totiens fortior, quotiens fuerit infirmior, habitura jam non Apostolum auctorem (in superioribus actum erat de Paulo,) sed Hermogenem aliquem plures solitum mulieres ducere, quam pingere; materia enim in illo abundat" caet. Vocabula „infirmitas carnis" possunt ex Matthaeo cap. XXVI, 41 hausta esse, ubi reperitur: „τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής". Veram esse vocem, confitebitur quisquis se ipsum accuratius considerarit.

grata, et licita esse, ut notissimo Jovae ad mortales primos alloquio (I Genes. 28): „Αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε καὶ πληρώσατε τὴν γῆν“ 1).

Cap. XXVII adv. Hermog. inducitur sic, ut Tertulliano aliquid opponat „supercilia capitis nutu digiti accommodato altius tollens, et quasi retro jactans“. Ex quo ego gestu nondum certo concluserim, haereticum inflatum superbia fuisse. Bene admodum habetur instar gestus, homini, dum adversanti sibi presbytero Africano aliquid objicit, prorsus nativo, quamquam Tertullianus, quomodo sequentia docent, illum habitum corporis lenocinium quoddam pronunciationis videtur existimare.

Hermogenem si non moribus at ingenio certe ad placita sibi propria esse perductum, satis in comperto est. Interque ea, quoniam decretum de mundo ex materia sempiterna producto principale est, hoc potissimum primum tractare liceat.

---

§ V.

Quaeritur, qua ratione haereticus laboraverit, necessitatem praeexistentis (uti barbare loquuntur,) materiae demonstrare?

„Ex falsis verum effici non potest.“
M. Tullius Cicero.

Argumentationem haeretici ex cap. II lib. ad-

---

1) Adhibui versionem virorum LXX, scilicet textui, quem vocant, Hebraeo plane congruam.

versus eum conscripti perspicias optime. Negavit, Dominum „ex semetipso cuncta 1) facere potuisse.“ Nam „quaecunque ex semetipso fecisset, partes Dei fuissent“ 2). „Dominum vero in partes non devenire,“ utpote qui „indivisibilis sit et idem semper qua Dominus“ (postremis verbis significaturus est Hermogenes: Deum, quia rerum extra se positarum Dominus iisque potentior sit, ab iis in partes scindi 3) non posse, ad instar videlicet omnium corporalium). — Porro: „Deum Dominum ex nihilo omnia facere non potuisse“ tali modo comprobare nisus est: „Bonum et optimum esse Dominum, qui nihil non bonum atque optimum et velit et faciat 4). Secundum hanc Domini qualitatem bo-

---

1) Cuncta intelliguntur, quaecunque extra Deum sunt Ita etiam probe definias mundum, cf. Ge. Car. Theod. Franckii (in schola Flenop. conrectoris) adumbrationem rerum divinarum e disciplina Christiana pag. 18, § 1, edit. Hamburg. 1830. In multis illis libris, quibus praestantissimae eae res proponuntur, hic cogitationibus auctori propriis nec minus evangelicis insignis est.

2) Si mundus Dei pars, particula Dei interficeretur, si animal interficeretur, vide Augustinum lib. IV de civitate Dei cap. 12. Depugnat episcopus Hipponis Regii contra tales, quorum opinione mundus pro corpore Dei habendus.

3) Recte notatur cap. XII advers. Hermog.: „Dominum (tanquam) aeternum aliud esse non posse, quam quod est semper“.

4) Arnobium si audias (pag. 80, 81 disputation. adversus gentiles) acquiescendum est mortalibus in hac sententia: nihil a Deo noxii atque mali existere, quum quo pacto

nam 1) oportuisse omnia ab eo bona atque optima fieri. Quodsi mala occursent in universo, haec utique non arbitrio (εὐδοκίᾳ) Domini facta; immo vero credenda esse ex vitio 2) alicujus rei facta, ex materia esse sine dubio" 3). Ea scilicet sola, tanquam tertium

---

malum ortum sit, ostendi nequeat. Id quod non absolute verum, quandoquidem religionis Christianae res vel in his terris ab hominibus ad certum usque gradum cognosci possunt. Fides Christiana non solum in assensu ac fiducia consistit, sed etiam in cognitione.

1) Habes pro voce „qualitas" apud Septimium conditio (sive natura interna).

2) Quomodo ex vitio? consequens docebit disquisitio.

3) Formula dicendi ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου si prima elementa φυσικά, unde mundus compositus est, intelligitur (cf. Herodianum I, 12; Plutarchum tom. X pag. 51, edit. Hutt.), quin si de materia universitatis rerum primordiali (vocula est Ammiani) capitur, Hermogenes, dum materiam sumebat, quasi τοῖς τοῦ κόσμου στοιχείοις δουλεύων erat. Verum enimvero contendit cap. XII. libr. de praescription. advers. haeretic. Tertullianus: „Idem Apostolus (scil. Paulus) quum improbat elementis servientes, aliquem Hermogenem ostendit, qui, materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, et ita matrem elementorum deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat." Putat igitur Tertullianus, Paulum asseclas Hermogenianae super materia doctrinae impugnasse; etenim numerat in sequentibus id adulterinae doctrinae genus in iis, quas sub Apostolis fuisse ab ipsis discamus Apostolis. At valde errat pater ecclesiae, propterea quod formula τὰ στοιχεῖα κ. τ. λ. apud Paulum signat imperfecta religionis rudimenta, quae genus humanum et Gentile et Judaeum tenebat (cf. II Coloss. 8, 20—21). Inde οἱ ὑπὸ τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου

aliquid restabat. Materiam noverat Hermogenes, scitis Stoicorum imbibendis operam dans. Et quod reperitur in mundo malum, ad materiam ex Stoicis sumptam 1), tanto facilius poterat referre, quanto permulti veterum tenacius perversae opinioni inhaerebant, materiam per se et ex se malam esse. Hinc mortificatio carnis, (phrasis est ex confessione Augustana petita, pag. 33 libror. symb. Tittmanni) adeo multis (ἀσκηταῖς) in antiquitate adamata. — Longius

---

δεδουλωμένοι (in IV Galat. 3, quem locum Septimius fortasse ob oculos habet) sunt Christiani Galatiae, item Paulus ipse, quoad rudioribus neque vero consummatis Gentilium atque Judaeorum religionibus obstricti tenebantur, priusquam consummatam religionem Jesu profiterentur.

1) Quemadmodum declarat Tertullianus cap. I adv. Hermog. Marcion quoque (vide Tertull. lib. V advers. Marcion. extremo) „collocavit cum Deo creatore materiam de porticu.“ Memorabile est Hieronymi Stridonensis (ad Nahumum) de haereticis effatum: „omnia dogmata eorum quum frigeant et volare non possint, sedem sibi et requiem inter Aristotelis et Chrysippi spineta reperiunt.“ Quid? quod Tertullianus cap. VIII adv. Hermog. philosophos in universum appellat haereticorum patriarchas, i. e. eos, quorum e scholis prodierint haeretici, quorumque sententiae haereticis probatae sint ac propagatae. Idque pluribus demonstrat exemplis cap. VII lib. de praescript. haereticorum. In veram autem duntaxat philosophiam quadrat, quod Augustinus proloquitur: „est humanae salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est sapientiae studium, et aliam religionem.“ Inspice librum de vera religione.

vero processit haereticus, materiam suam *semper* exstitisse (aeternam) ponens; namque cap. III advers. Hermog. asserit: „Deum *semper* Deum, etiam Dominum (semper) fuisse. Nullo porro (= autem) modo potuisse illum semper Dominum (= aeternum Dominum) haberi, sicut et semper Deum, si non fuisset aliquid retro (= ante, cf. Plinii 1) lib. X p. 119) semper, cujus semper Dominus haberetur; fuisse itaque materiam semper Deo Domino" (scil. suo). Audit Hermog. (cap. I adv. Hermog.) ea, ut arbitror, re „adulter praedicationis", quia decreta falsa cum genuina, quae intra ecclesiam praedicabatur, disciplina evangelica confudit.

---

§ VI.

Qua tandem ratione Hermogenes refutandus erat, et qua refutatur a Tertulliano?

„Θέμις οὐκ ἐςὶ τῷ Ἀρίςῳ ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιςον (ποιεῖν)". Sic Platon in Timaeo.

Vocat cap. VIII adv. Hermog. Tertullianus Deum Hermogenis „minus idoneum de nihilo facere, quae velit", observat cap. XXI ibidem: „si ex nihilo Deus cuncta fecisse non potuit" rel., denique cap. VIII: „jam non omnipotentes (nempe Deus est,)

1) Adde Horatium III Od. 29, v. 46.

si non et hoc potens, ex nihilo omnia proferre". Inde videtur esse perspicuum, haereticum Tertulliani saltem judicio censuisse, Deum φυσικῶς haud valere, rerum universitatem ex nihilo producere 1). Hoc autem, quin δόγμα aliquod Hermogenis fuerit, oppido dubium est, immo Septimius haud scio an istud ex eo solummodo coegerit, quod haereticus universi ex materia praejacente productionem gnaviter defenderat, quomodo omnino Tertullianus ad aliquas sequelas ex decretis adversariorum faciendas vehementer proclivis erat; id quod scripta patris πολεμικὰ satis superque confirmant 2). Statuit mea opinione Hermogenes, Deum φυσικῶς (i. e. pro omnipotentia) quidem potuisse mundum de nihilo efficere; verum putavit credo, Deum moraliter (i. e. secundum bonitatem suam) non potuisse mundum, utpote cui tot tantaque mala insita sint, ex nihilo

---

1) Placitum est Baylio, mentis subtilitate excellenti, veterem opinionem metaphysicam (barbare si loqui licet): „ex nihilo nihil fit," humana ratione judicatrice esse rectam. Et sane constat, homines nihil ex nihilo facere posse; sed idem in Deum nequaquam cadere, monstrat usus rerum et experientia, idque luce quidem clarius.

2) Incidas in similem consequentiam (vox est Ciceronis) cap. IX adv. Hermog., ubi narrat Septimius; „Deum sustinuisse (Graecum τολμᾶν) de materia uti," — et haec Hermogenis judicio recta — „scilicet (uti adjicit Septimius) ex necessitate mediocritatis suae (i. e. quia id postulaverit Dei tenuitas), qua non valuerit ex nihilo uti".

creare, quandoquidem, si creasset inde, bonitas Divina salva non maneret. Dum igitur originem mali salva bonitate Divina explicare vult 1), iis semet adjunxit, qui (quemadmodum legitur cap. XIV lib. adv. Hermog.) materiam cum creatore proponerent, ut malum a materia deduceretur 2). Jam vero haereticus, si commodas modo aures vero praebebat, mox opinor adductus foret, ut placitum palmare de materia sempiterna dimitteret, si docuisset Tertullianus argumentisque tum biblicis tum speculativis (uti vulgo ajunt) comprobasset: unicum Satanam auctorem principem ac fontem mali moralis esse, physicum autem juxta superiorem aliquam legem morale esse subsequutum, scilicet (sic loquuntur dogmatici:) tanquam poenam 3). Hoc pacto utrumque malum in

---

1) Hermogenem jure ita alloquitur Tertullianus cap. XLV advers. Hermog.: „laboras, ne malorum auctor constituatur Deus". Et in hac quidem re genuino cuilibet Christiano laborandum. Altera ex parte ne illud quidem falsum, quod declarat de Rauscherus, historiae ecclesiasticae atque juris ecclesiast. Prof. Salisburgens. ordinar., tom. I operis supra laudati pag. 319: „Unbescheidenes Forschen nach dem Ursprunge des Bösen machte auch den Hermogenes zum Irrlehrer".

2) Ita deinceps fecerunt Manichaei.

3) Tertullianum veram hanc doctrinam contra Hermogenem non urgere, tanto magis venit mirandum, quanto clarius in pugna adversus Marcionem (lib. II, cap. 14) in hunc modum ait: „malorum quidem peccati et culpae, diabolum, malorum vero supplicii et poenae Deum creatorem (scil. definimus); ut illa pars (malum delicti et poenae) malitiae deputetur (= putetur?), ista

mundum venisse, quem Deus pro sapientia, bonitate, omnipotentia bonum ac de nihilo producere potuerit, immo dudum ante utrumque, quod dixi, malum revera produxerit. Sed Tertullianus neque hac ratione invadit arcem caussae Hermogenianae, et nervos suos contendit, ut ostendat fuse, ad quot praepostera atque insulsa decretum de perennitate alicujus materiae necessario perducat, praeterea operam dat, ut quidquid Hermogenes sustentando isti decreto eloquutus erat, fortiter destruat. Jam egomet non infitior, in libellum a patre ecclesiae contra Hermo-

---

justitiae, mala condentis iudicia adversus mala delicti". — De primo, quod Satanas patraverit, peccato, theologi pro scientiae cupiditate multum meditati sunt: Veluti Christ. Fr. Schmidius (vide viri enarrationem doctrinae sacrorum librorum de lapsu daemonum, ed. a. 1775 Viteberg.), item Altingius primum istud in eo posuerunt, quod Satanas protoplastos corruperit in suamque redegerit ditionem. Sed cap. VIII Joann. evang. vers. 44, quem locum Wegscheiderus pag. 254 institutionem dogmatic. edit. tert. huc haud inepte relatum esse putat, proponitur Satanas is, qui nonnisi ab humanae historiae principio hominibus exstiterit peccati ac mortis ex peccato redundantis caussa (conf. σχόλ. ad codic. Novi Testamenti g. apud Matthaeij, item II σοφ. 24), neque vero ullo sacrae scripturae dicto docemur, Satanam non aliud quoddam peccatum ante corruptionem generis humani commisisse. Quin potius tradunt literae sacrae de malis geniis, ergo de Satana quoque vers. 6 epist. Judae: eos „principatum (quo videlicet parum contenti essent,) non retinuisse (splendidiorem, ut opinor, et in quo ex Deo minus penderent, esse consectatos,) et domicilium (in caelis)

genem confectum praeprimis quadrare id, quod Gisbertus Voethius aliquando sit proloquutus: „Septimii tantam esse obscuritatem, ut vulgares animas plane dejicere, nobiliores fatigare queat“. Idem non nego, Tertullianum, dum aperte odio quodam et ira in haereticum invehatur 1), saepenumero er-

---

sibi assignatum reliquisse“. Quod peccatum (ἄγγελοι isti I Petr. 2, 4 sistuntur ἁμαρτήσαντες) quum superbiam arrogantiamque habuerit caussam, haud pauci theologi (cf. Petavium tom. III dogmatum theologic. pag. 91) ut Chrysostomus, Brianus Turnerus, (cf. hominis tentamen de lapsu angelorum et hominum,) Laurentius Moshemius, Moldenhaverus non immerito voluerunt, perversos angelos, itaque Satanam etiam primo peccasse *superbia*. Stabilitur id nequaquam capite XIV Jesajae vers. 11 sqq., ubi de rege potius Babylonico sermo est, verum per Paulum Apostolum forsitan, dummodo locum I Timoth. 3, 6 nexui sine dubio satis convenienter ita sumas: ne sit episcopus „recens in ecclesia Christiana plantatus“, i. e. recens in eam receptus (Arabs, profecto dignus, qui in interpretando Novo Instrumento respiciatur, τὸ νεόφυτον vertit: „in fide novitium“), nempe: ut ne superbia propter tantum munus acceptum inflatus in eandem (superbiae) poenam (κρίμα), quam diabolus passus est, incidat. Voci κρίμα II Petri 2, 3, alibi κατακρίματος notio inhaeret. Non poenitebit inspexisse, quae Chrysostomus atque Theodoretus, egregii epistolarum Paulinarum interpretes, ad I Timoth. 3, 6 observarunt.

1) Attamen alio scripto pater ecclesiasticus: „nesciunt, inquit, quid sit credere, qui dissentientibus a se irascuntur“. Et genuina fides nonne est δι᾽ ἀγάπης (in homines quoque) ἐνεργουμένη?

rare 1). Nihilo tamen secius e libello illo quantumvis obscuro elucet, presbyterum Carthaginiensem super nonnullis locis theologicis perquam bona cogitasse sive probe philosophatum 2). Exceptis erroribus (quos ad unum omnes devitare, mortalibus peccato infectis proh dolor! in hac terra ἀδύνατον, 3) talia ineptiis pictoris nostri a Septimio frequenter objiciuntur, quae solida adeoque praeclara, et

„perpetua semper dignissima vita"

ingenuo cuique existimatori judicentur necesse est 4). Id quod dictis aliquot Tertulliani, infra citandis, comprobabitur. Nescius vero sum, immo dubito,

---

1) Septimius, si scriptionem contra Hermogenem tranquillo posthac animo perlustrasset, complura forsitan mutasset in melius. „Αἱ δεύτεραι φροντίδες, quomodo apud Euripidem poëtam non male legitur, σοφώτεραι".

2) Recte theologus quidam Germanicus: „Alles Denken in der Wissenschaft ist ein Philosophiren, es sey auch wie es sey".

3) Defendit quidem ab Ammon: „errando aeque ac peccando ad veritatem ac virtutem non perveniendum est (III Rom. 28), sed pervenitur". Verum haec nonnisi gratiosa aliqua institutio divina (=gratia Dei) est, quae propter id ipsum ad δόξαν τοῦ Θεοῦ facit.

4) Non in cunctis rationibus vitae probabile est et locum habet, quod apud Arrianum deprehenditur: „ὁ ἀγαθὸς οὔτ' αὐτὸς μάχεταί τινι, οὔτ' ἄλλον ἐᾷ κατὰ δύναμιν". Quid? quod ipse divinus Servator mundi fatetur: „venisse sese, non ut pacem, verum ut ensem (videlicet adversus regnum superstitionis, erroris, incredulitatis, vitiositatis, miseriae i. e. regnum Satanae) ferat.

an haereticum singulis, quas fecit, objectionibus 1) permoverit, ut placitum super materia sempiterna reapse detestaretur et in suam ipsius salutem respueret. Quid vere sibi conducat, homines creberrime ignorant.

---

§ VII.

Respiciuntur rationes, quas Septimius philosophicis, quibus Hermogenes sententiam de materiae aeternitate 2) defensurus erat, argumentis opposuit.

„Τὰ μυρία ἔφυ κακὰ ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας“. Ἰωάννης Χρυσόστομος.

Admirandum haud dubie in iis est presbyteri Africani ingenium, quorum ope illud, quod supra

---

1) De Tertulliano ut scriptorum auctore, eximia, si quid video, commentatus est Schroeckhius tom. II operis jam excitati, pag. 321—324.

2) In hac quidem opinione cum Hermogene non penitus consentit Boethius, cui praeclaram scriptionem de consolatione philosophiae debeas, quippe qui lib. V pag. 138, 139 eloquatur: „si digna rebus nomina velimus imponere (et hoc quis nolit?) Platonem sequentes Deum quidem aeternum, mundum vero dicimus esse perpetuum“. Recta sententia est, modo vocula perpetuum id intelligatur, quod per tempora durat longissima, quo significatu vox *αἰώνιον* hic illic in Nov. Testam. est.

prolixius exposui, haeretici argumentum convincit, „materiam scilicet procul dubio semper fuisse, quia Deus semper fuerit Dominus“. Occurrunt cap. III advers. Hermog. haec et talia: „Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum et in semetipso 1), Dominum vero (i. e. Domini nomen, quem-

---

1) Ad instar ingeniosi Philonis Hebraei, quin etiam Platonis patres nonnulli, inter quos Justinus Martyr fuit, arbitrati sunt, summum Numen nomine aliquo carere. Neque Origenes inscite monet contra Celsum, cui eadem placeret opinio: „si Celsus significet, non adesse istiusmodi verba, per quae Dei proprietates perfecte repraesententur, vere loquutum“. Idem vero laudabiliter adjungit: „si Deum nominare nonnisi hoc sit; quasdam virtutes Dei verbis aliquibus aperire, nempe ut auditor ad nonnulla super illis cognoscenda (quantum humanae naturae concessum est,) admoveatur, ineptum non esse contendere, Deum nominari posse“. Caeterum nomen Deus a „δέος“ derivare, ita ut per illud supremum Numen sistatur — timor facit Deos? — natura mortalibus metuenda, mea certe sententia opus non est, siquidem τὸ „Deus“ videtur potius respondere Aeolic. Δεὺς, quod deducendum est a Ζεῦς, σδεῦς, θεὺς. Scimus auctorem operis, quod „definitiones“ inscribitur, magnoque Athanasio Alexandrino a non nemine tribuitur, vocabulum Θεὺς dictum velle ἀπὸ τοῦ θέειν ἤτοι τρέχειν, scilicet quatenus Deus currit, in rerum universitate praesentem sese exhibet, aut, quomodo scriptor definitionum ipse sentit, quatenus verbum τὴν πρόνοιαν τοῦ Θεοῦ indicat. Sed haec vocis Θεὺς derivatio utrum vera sit, nec ne, in medium relinquamus. Annon autem est mirum, quod Numen, summas complexum perfectiones, apud tot nationes quattuor literis enunciatur, ut apud Graecos, Germanos (in Gott,

admodum ex phrasi superiore „Dei nomen“ clare emergit) non semper; diversa enim utriusque condicio: Deus substantiae ejus nomen, i. e. Divinitatis, Dominus vero non substantiae, sed potestatis. Substantiam (nimirum dicimus) semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus; postea Dominus (scil. dictus est) accedentis scil. rei mentio 1). Nam ex quo esse coeperunt, in quae potestas Domini ageret 2), ex illo per accessionem potestatis 3) et factus et dictus est Dominus“. Qui bene distinguit, bene docet! Verumtamen in eo vituperandus est pater ecclesiasticus, quod sustentandae argumentationi similitudine, placitis bibliothecae sanctae contraria et qua commodissime supersedere potuisset, usus est 4),

---

quod Luthero in catechismo, quem conscripsit, majori a vernaculo gut acute repetitur,) Francogallos (Dieu), Hebraeos (Jehovah), ne alios populos memorem. Haec dicta sunto per digressionem, quam ne Cicero quidem, elegantissimus dicendi artifex, improbat.

1) Scil. imperii in res de nihilo modo eductas significatio.

2) Hoc est: semet exsereret.

3) =eo, quod potestas Domini rebus creatis ipsi subjectis aucta est. Tenuit videlicet Deus jam ante creatas res potestatem, quum ex sapientia ipsius, tum ex sanctitate necesserio redundantem.

4) Carolus Hasius est is, qui pag. 278 des „Lehrbuches der evangelischen Dogmatik“ respectu loci, quem ex Tertulliano attuli, hoc quoque observet, patrem ecclesiae neglexisse „die wahre Schwierigkeit einer Veränderung in Gott“. At res omnes, quaecunque fidei sunt, nonne difficultatibus quibusdam, si mentem nostram spectes,

dum declarat: Deum „nec Patrem esse potuisse ante Filium (i. e. priusquam Filium haberet): fuit autem tempus, quum et Filius non fuit — —, qui patrem Dominum faceret“. Quibus de verbis Schroeckhius tom. III pag. 403 der Christl. Kirchenschichte: „Ein Ausspruch, inquit, der demjenigen sehr zuwider ist, was Tertullian sonst so oft und so deutlich von der ewigen Gottheit Christi lehrt. Man thut also wohl nicht Unrecht, wenn man diese Stelle bloß als eine übereilte Folge von dem Streite mit Hermogenes betrachtet“. Contra equidem crediderim, effatum Septimii aliis, quas de Filio Dei foveat, rationibus totum esse consentaneum. Docet verbi caussa „sophiam Dei natam et conditam praedicari 1), ne quid innatum et inconditum praeter solum Deum crederemus“ (XVIII cap. advers. Hermog.). Quid? quod eodem loco vult, „natum esse Sermonem Dei“ (id est λόγον, Dei Filium) 2), male provocans ad dictum Veteris Foederis: „Eructavit enim sermonem optimum“. Quodsi natus est Sermo sive Filius Dei, neque ab aeterno est, et in tempore ipso extitit;

plus minusve sunt implicitae? ob difficultates, quae veritati videntur inhaerere, veritas nequaquam rejicienda, immo exspectanda est hominibus aeternitas, in qua sic cognoscent, quemadmodum jam a Deo cogniti sunt. I Corinth. 13; 12 dictum sit probans.

1) Vide VIII sapient. 22.

2) Septimius cap. IX adv. Praxeam, quem Patripassianum vocitant: „Sermo Dei etiam proprie nomen Filii accepit“ caet.

immo ex facili cogitari potest, tempus, sicuti ante multas res conditas fuerit, ita ante natum quoque Dei Filium fuisse. Ego scilicet de sententia Tertulliani erronea disputo. Arius quoniam notissimam vocem: „ἦν ὅτε οὐκ ἦν" misit" 1), Priorius (humanitatis in judicando non studiosissimus) 2), hoc ipso, quod Tertullianus eandem formulam latine protulit, probare studet 3), fundamenta amentiae et impietatis Arianae a Tertulliano jacta esse 4). Id

---

1) Scriptum exstat inclyto in symbolo Nicaeno (quod Arianis oppositum, in bibliotheca symbolica veteri G. Walchii inde a pag. 73 reperitur): „τοὺς δὲ λέγοντας, ὅτι ἦν ποτὲ, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν — — φάσκοντας — — κτιςὸν, τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία".

2) Quo in genere Schroeckhius praeter multos excellit, teste historia ecclesiastica.

3) Inspice dissertationem ejus, qua vitam Tertulliani, opiniones, errores expendit. Praefixa est operibus patris ab Rigaltio foras datis.

4) Priorii sententia si vera est, nimium contendit Ernest. Sartorius, quum pag. 7, 8 scriptionis caeteroquin vehementer laudandae: „Apologie des ersten Artikels der Augsburgischen Confession, gegen alte und neue Gegner", edit. Dorpat. a. 1829, dicit: „Daß die gesammte ältere Kirche der apostolischen Lehre gemäß den λόγος antiarianisch, von allen aus Nichts geschaffenen Kreaturen weit unterschieden, und hoch über sie erhoben hat, daß sie ihm ewige Herrlichkeit zugeschrieben, und ihn bei entschiedenem Festhalten an die Einheit Gottes, als Gott und Herrn, als Schöpfer und Erlöser angebetet hat". Hoc de *plurimis* ecclesiae antiquae doctoribus valet. Tertullianus (quod ad nonnullos Christianae fidei articulos attinet,) in hete-

saltem in propatulo est, Tertullianum in doctrina de Filio Dei haud idem censuisse constanter, quod (parum notum) symboli „Quicunque" sive Athanasiani auctorem, utpote qui doceat: „aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus" 1). Quod restat, offendit, quum Fridericus Münterus, qui Selandiae episcopatu functus est, animoque fuit alioquin mitissimo, tom. I operis: „Handbuch der christlichen Dogmengeschichte" pag. 398 fatur talia: „Der polemische Eifer, wovon sich der Africaner, (agitur de

---

rodoxis, uti ajunt, non injuria repositus est, quamquam in aliis codici sacro accommodatissime sentit.

1) Hic gravem quendam locum Augustini non inepte, opinor, laudabo: „aequalitatem Patris — Filii — Spiritus sancti putant nonnulli ex hoc impediri, quominus intelligatur, quia scriptum est I Cor.: „Christum Dei virtutem et Dei sapientiam", ut ideo non videatur aequalitas, quia non est Pater ipse virtus et sapientia, sed genitor virtutis rel. Hinc nonnulli nostri adversus Arianos hoc modo ratiocinati sunt, eos duntaxat, qui prius sese adversum catholicam fidem erexerunt: — — — si Dei Filius virtus et sapientia Dei est, nec unquam Deus sine virtute et sapientia fuit, coaeternus est Deo Patri Filius. Dicit autem apostolus Christum Dei virtutem et Dei sapientium, et Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam dementis est dicere. *Non* igitur erat tempus, quando non erat Filius". Perlustra excellentissimum opus de Trinitate, lib. VI cap. 1. Neque vero absurda, immo acuta est haec Ariani istius decreti refutatio, dum scripturae sacrae in iis, quae de Christo perspicue pronunciavit, fides ad libitum ne derogetur. Idem quadrare existimo in aliud effatum eximii episcopi Hipponis Regii: „Ver-

Tertulliano,) so oft hinreißen ließ, vereint mit seiner glühenden Einbildungskraft, wirkten dergestalt auf seine Vorstellungen, daß ihnen durchaus die Würde fehlt (???), welche die Idee von der Gottheit erfordert, und sie oft sehr in das Niedrige fallen". Cujus dicti demonstratio sufficiens, vereor ne venerabili Müntero, quamvis doctissimo, paullo difficilior fuisset 1). Altera ex parte Vincentius Lirinensis longius, quam par est, progreditur, dicendo: „hoc viro (i. e. Tertulliano) — — quid in divinis atque humanis rebus exercitatius"? Videtur Vincentius 2) inter scribendum

bum Dei semper cum Patre, et semper Verbum (cf. exordium evangelii ab Joanne contexti) et quia verbum (i. e. quia a Deo quasi enunciatum est), ideo Filius: semper ergo Filius et semper aequalis. — — Pater autem non de Filio Deus, Filius de Patre Deus. Ideo Pater Filio gignendo dedit, ut Deus esset, gignendo dedit, ut sibi coaeternus esset, gignendo dedit, ut aequalis esset. Hoc est, quod majus est omnibus". Occursat vox XLVIII tractat. super evangel. Joann.

1) Allegat theologus celeberrimus cap. XXI. apologetici Tertull. Sed obsecro num indignum est genuina excelsae Divinitatis idea, si Tertullianus illic ait: „Deum universitatem hanc mundi verbo et ratione et virtute molitum"? num humile ac demissum, si idem: „hunc (i. e. spiritum, λόγῳ tributum) ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et iccirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiae; nam et Deus spiritus est". Pauloque post: „quod de Deo profectum est, Deus est".

2) Evolve commonitorium Vincentii pag. 330 edit. Bremens. a. 1688. Disputationem dico, quam doctor eccle-

oblitus esse, sacros auctores Christianis nobis relictos. De Tertulliano quoque aliter longe judicassent multi theologi, si Horatianum illud meminissent: „*medium* tenuere beati". Verum ad rem mihi propositam oratio redeat!

Posteaquam Hermogenes materia disertis verbis posita sempiterna 1), acceperat aeterna duo, Deum videlicet et materiam, Tertullianus contendit, communem utrique statum tribui, ita ut alterum altero neque superius esset, neque humilius cap. VII

---

siae „absconso nomine suo intitulavit Peregrini adversus haereticos", ut verba adhibeam, quae ex Gennadii Massiliensis catalogo virorum illustrium deprompta sunt.

„Il y en a plusieurs, qui errent d'autant plus dangereusement, q'uils prennent une vérité pour le principe de leur erreur. Leur faute n'est pas de suivre une fausseté, mais de suivre une vérité à l'exclusion d'une autre". Vox Hermogenem quodammodo attingit, siquidem materiae alicujus notio, quam conceperat, vera est, nisi quod notionem ita est sequutus, ut errores, verbi caussa de materiae aeternitate, adfingeret, vera doctrina de materia, cum tempore a Deo creata, parum probabiliter omissa. Scripturae sacrae — in qua creatio τῶν πάντων Deo constanter assignatur — si accuratiorem tenuisset cognitionem, errores istiusmodi procul dubio cavisset feliciter. Quamquam probe agit Chrysostomus, dum non modo „τὴν πολλὴν τῶν αἱρέσεων λύμην" verum etiam „τοὺς ἠμελλημένους βίους, τοὺς ἀκερδεῖς πόνους", inter sexcenta ista mala refert, quae ex ignorantia scripturarum sacrarum profluunt. Ac lectio earum, nonne est pro omnibus, uti Paschasius Quesnellius intrepide defendit?

adv. Hermog. Quin docuit 1): quum ab Hermogene ea, quae soli Deo propria sit, aeternitas 2) materiae tribuatur, quumque materia hac ratione Deo par, immo Deus fiat, haereticum jam adeo duos habere deos 3). Res κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην 4) ita habet: si non solum Deum summum, sed etiam aliud quid, quod extra praeterve Deum versetur, attributo quodam divino praeditum esse sciscas, haud scio an ad id ipsum caetera quoque, quae inesse in Deo statuuntur, ἀξιώματα, modo constare tibi velis, omnia deferenda sint, quin an id ipsum ideo divina evadat natura. Quippe unum quoddam, quod arctissime cohaereat, perhibenda sunt cuncta, quotquot in essentia (si cum scholasticis loqui licet, graece οὐσία) divina continentur attributa 5). Verum enimvero

---

1) Lege Guilelm. Muenscherum etiam, pag. 50 tom. II „des Handbuchs der Christlichen Dogmengeschichte".

2) Exstat apud Septimium libr. adv. Hermg: „quis — alius Dei census (i. e. qualitas, neque, quemadmodum Moreau opinatur: origo), quam aeternitas"? Utque unicuique pateat, quam aeternitatis notionem pater ecclesiae mente sibi informaverit, subjungamus haecce ejusdem verba: „Quis alius aeternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse ex praerogativa nullius initii, et nullius finis"? Haud perverse!

3) Inventus est Dacierius Francogallus, qui pag. 178 libri: „vie de Platon", eandem ex aeternitate materiae conclusionem faceret.

4) Concessum sit, phrasin Paulinam (I Corinth. 7, 40), qua Herodotus etiam et Polybius usi sunt, (cf. annotationes Raphelii ad locum Pauli,) adhibere.

5) Eodem argumento, licet non in finem eundem, verum

Hermogenes, in quo reverentia aliqua adversus Numen supremum videtur fuisse, ad ea usque, quae Septimius asseruit ex placito ejus principali necessario consequi, progrediendum sibi nullo modo putavit. Etsi enim decrevit, materiam pariter atque Deum „infectam (esse), innatam, neque initium rel. habentem" 1) cap. VII advers. Hermog., declaravit tamen: „esse minorem et inferiorem materiam Deo 2), et iccirco diversam ab eo" (cap. XXX, VIII

---

ad Deitatem Filii Dei comfirmandam jure usus est Franciscus Volcmarus Rheinhardus pag. 143 „der Vorlesungen über die Dogmatik". Docet: „Besitzt der Sohn nach der Schrift diese Eigenschaften (commemoraverat theologus Saxonicus in antegressis omnipotentiam, omnipraesentiam, omniscientiam al.), so müssen ihm auch die übrigen zugestanden werden, weil die göttlichen Vollkommenheiten ein nothwendiges unzertrennliches Ganzes sind, und wo eine ist, auch die übrigen sich befinden müssen".

Ne Methodio quidem aeternitas materiae probata. Idem vero quum affirmat; „increatas naturas duas eodem tempore esse non posse, utpote quae neque conjunctae, neque diversae, neque una in altera cogitari queant", timeo, ne graviter fallatur, propterea quod Deus Pater ac Filius Dei, quamquam aeterni, tum eodem tempore, tum secum conjuncti, tum denique Pater in Filio et in Patre Filius sunt. Inspice evangelium pluries laudatum, ut cap. XIV, 10, 11, 9.

Apparet inde, quantum fallatur Laurentius Moshemius ὁ πάνυ, in commentatione philosophorum paganorum super creatione mundi opiniones spectante — adjecta est commentatio intellectuali Radulphi Cudworthi systemati — pag. 958 docens: „Origenem dissedisse nonnihil ab Hermogene, Marcione et reliquis, qui mate-

scripti modo citati), item „salvum Deo esse, ut — primus sit“ (cap. VI ibidem), potestate videlicet 1). Quod placitum, etiamsi Hermogenes in eo sibi parum constitit, tamen religioso hominis sensui honori ducendum est. Ad Tertullianum quod attinet, monet contra illud pictoris argumentum cap. VII adversus Hermog. reapse philosophice: „non capere

---

riam aeque atque Deum aeternam, neque ullo modo supremo Numini subjectam statuebant“. Namque Hermogenem si audias, materia quamvis non ab aeternitate, verum καϑ' ἕτερα saltim subjecta Deo erat. Contra Marcionis respectu rem acu tetigit egregius Moshemius.

1) Hermogenes quum aeternum Deum et materiam aeternam proponeret, dualismum induxisse credendus est, licet non absolutum, ut ita dicam, i. e. non talem, secundum quem principia (ἀρχαὶ) sunt duo, sibi non aeternitate solum, sed etiam, id quod majoris utique momenti est, potestate paria. Etenim quia materiem, quam sibi opinionis errore finxerat, sempiternam illam quidem, attamen Deo subditam decrevit, ita ut ex Deo quodammodo penderet, tolerabiliorem dualismi formam, dualismum, si sic appellare placet, relativum asseruisse judicandus est, qui divinae fidelium Christianorum vitae non tanta, quanta absolutus iste, intenderet pericula. De dualismo dum verba facio, deesse mihi non possum, quin vocem respiciam, a Wegscheidero §. 106 institution. theologiae Christ. dogmat. missam: „dualismus cuique populo rudiori, alii sub alia specie probatus, omnem religionem puriorem tollit“. Posterius haud dubie verum est; sed prius: nimirum dualismum *cuique* populo rudiori probatum esse, ab auctore institutionum vix ac ne vix quidem evincetur. — Hebraeo num probatus fuit?

nllam diminutionem et humiliationem, quod sit aeternum et innatum", ut — hoc cap. XI adspergitur — „alii coaeterno inferius deputetur". Rursus (sic non immerito contenditur cap. VII) „quae nascuntur et finiunt, et iccirco aeterna non sunt, — — admittunt — — diminutionem et subjectionem, quia nata et facta sunt". Docet hoc rerum experientia.

---

§ VIII.

Ostenditur, qua ratione Septimius argumenta biblica, per quae Hermogenes opinionem super aeternitate mundi confirmatum ivit, everterit.

„Celui, qui lit (scil. codicem sacrum) en theologien sans lire en fidèle, n'est pas seulement un mauvais chrétien, il est aussi un mauvais theologien".

J. E. Cellerier fils. (Vir eruditus Genevensis.)

Haereticorum plerumque intererat, reliquis mortalibus persuadere, genuinam caelestis Servatoris nostri religionem penes se esse. Quod quo melius persuaderent, demonstrare laborabant, potissimum sua ipsorum decreta in bibliotheca sancta 1) contineri, vel ab ea certe foveri. At simplicia τῶν βι-

---

1) Venit scriptura sacra hoc nomine apud Hieronym. et Isidorum, (cujus origines ecclesiast. dudum innotuerunt.)

βλίων vocabula, quoniam decretis plerumque haud patrocinabantur, immo repugnabant: haeretici tam audaces adeoque insolentes erant, ut verba aut bibliis per tempora posteriora docerent inserta 1) et mutilarent, aut in sensum suis decretis accommodatum suo arbitratu torquerent 2). In hunc utique censum Hermogenes venit. Exstat apud Mosen dictum gravissimum: „Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν“, 3) ut juxta septuaginta interpretes

---

1) Possunt documento esse, quae in opere Augustiniano contra Faustum Manichaeum perscripta sunt: „Quidquid est in evangelio, vel in epistolis canonicis, quo adjuvari suam haeresin putent, id esse a Christo et Apostolis dictum teneant atque suadeant; quidquid autem ex eisdem codicibus adversus eos sonuerit, immissum ab infalsatoribus ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere. Cui furori eorum, auctoritatem omnium librorum exstinguere atque abolere conanti, jam supra, quantum suscepti operis ratio sinere videbatur, non pauca respondi“. Cf. libr. XXII, cap. 15. Neque ἄτοπόν τι est Tertulliani cap. XXXVIII de praescript. haeretic. locus: „quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit, aliter disponendi instrumenta doctrinae“.

2) Memorantur cap. XXVII advers. Hermg. „argutiae et subtilitates haereticorum, simplicitatem communium verborum torquentes in quaestionem.“ Equidem tametsi haereticos tortores hujuscemodi habeo, non diffiteor tamen, etiam orthodoxos, ceu ajunt, in vitium istud nonnunquam incurrisse, scilicet ecclesiasticam theologiam defensuros, itemque non ecclesiasticae profligandae gratia.

3) Spectat dictum Geneseos pulcherrimus aliquis J. G. Ha-

laudem. Hermogenes igitur quum scitum sibi peculiare de materia in Veteri quoque Instrumento repertum, perque auctoritatem divinam stabilitum cuperet, nihil dubitavit simul cum sectatoribus sui illud „principium, in quo Deus fecit caelum et terram", quasi substantiale aliquid et corporale 1) tractare, quod nempe materiae vocabulo esset explanandum. E contrario presbyter Carthaginiensis suam huic voci ac propriam potestatem vindicat, principium docens idem esse, quod vulgare initium. Quicquid fiat, initio haud carere, illique *dum* incipiat fieri, initium suum esse. Jam quia caelum ac terra principalia Dei opera sint, i. e. ea, quae Deus produxerit ante omnia, scripturam sacram recte praefari (in primo scilicet, qui versiculos cunctos antecedat, versiculo): „in principio Deus fecit caelum et terram" 2).

---

manni locus; „Wie würde es ein großer Geist anfangen, der einem Kinde, das noch in die Schule ginge, oder einer einfältigen Magd von seinen Systemen und Projecten ein Licht geben wollte? — daß es aber Gott möglich gewesen, uns zwei Worte über den Ursprung der Dinge vernehmen zu lassen, ist unbegreiflich; und die wirkliche Offenbarung darüber ein so schönes Argument seiner Weisheit, als ihre scheinende Unmöglichkeit ein Beweis unsers Blödsinn's". Cf. die christlichen Bekenntnisse und Zeugnisse magi septentrionalis — Hamannus ipse so ingeniose dixit τὸν βοῶντα ἐν τῇ ἐρήμῳ, — herausgegeben von A. W. Möller. Münster 1826, pag. 153.

1) Legitur apud Septimium „substantivum et corpulentum".

2) Quaeritur ab Augustino, quid sit „in principio" utrum in principio temporis, an quod primo omnium

Post reliqua omnia si caelum terramque produxisset, declaraturam fuisse scripturam, in finem 1) fecit Deus utrumque. Hic poterat quispiam obvertere: Quid? nonne τὸ principium ab auctoribus Latinis adhibetur pro substantia, unde aliud quid natum sit 2)?

---

facta sint, an in principio (eo), quod est Verbum Dei, vide operis de Genesi ad literam libr. I cap. 1. Media interpretatio est praestantissima, nisi quod cum prima arcte cohaeret, siquidem una cum caelo atque terra tempus ortum est. Augustinum vero tertiam particulae explanationem prioribus duabus anteposuisse, satis constat ex iis, quae pius episcopus libr. II laudatissimarum confessionum cap. 9 exclamat: „In hoc principio Deus! fecisti caelum rel., in Verbo Tuo, in Filio Tuo, in virtute Tua, — in veritate Tua, miro modo dicens, miro modo faciens". Tertullianus quo cognoscatur penitius, notatu non indignum est, eundem, qui τὸ principium supra jure intellexerit initium, cap. XX. advers. Hermg. affirmare: principium posse de sophia Dei accipi, quippe quae VIII proverb. 23 dixerit: „Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua", (suppeditant οἱ LXX: „ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ".) Addit Septimius: „In sophia primo fecit, in qua cogitando et disponendo jam fecerat". Verum enimvero postrema ista vocabuli principium expositio, quantum sapit arbitrium! utpote quum ne minimum quidem I Genes. 1 adsit vestigium, Mosen τὸ principium idea sapientiae divinae quantumvis profunda instruxisse.

1) Septimius pariter atque auctores quidam Romani, qui optimae notae sunt, amat accusativum interdum ponere, ubi ablativum ex regulis vulgaris grammaticea Latinae exspectes, id quod F. Carolus Moreau apposite observavit.

2) Veluti apud Marc. Tullium lib. IV academ. quaestion.

Ast Tertullianus caute: sicubi, inquit, vocula principium hoc usurpetur significatu, „adjici et mentionem ipsius rei specialiter, quam velimus principium alterius rei“. Exempli gratia „argillam principium testae esse, semen principium herbae“ 1) (cap. XIX adv. Hermog.): nisi quod in I Genes. I tale quid voculae principium adjunctum non est. Et vero acumen mentis prodit haec Septimii vox: „si principium hoc loco materiam significaret, scriptura non posuisset: „in principio“, sed „ex principio“. Non enim in „materia, sed ex materia fecisset“.

Natalis Alexander, quem scimus ex ordine fratrum praedicatorum fuisse, alium insuper Tertulliani locum mihi monstravit 2), qui quomodo biblici ge-

---

56 sermo est: „de principiis rerum, e quibus omnia constant“, eaque ab Joh. Aug. Ernestio merito intelliguntur elementa. Adi si placet viri indicem Latinitatis reliq. in opera Ciceronis, sub v. principium. Praeterea docetur libr. I de natur. Deor. 1 „caussam i. e. principium philosophiae, esse inscientiam“. De hoc loco, bene multas interpretationes, ut Oliveti, ut Baelii experto, videsis, quae Ernestius s. v. inscientia non sine mentis perspicacia monuit.

1) Disserit Tertullianus ibidem: „si sic ponamus: —— In principio fecit figulus pelvim vel urnam, jam non materiam significabit principium, sed ordinem operis, quia figulus ante caetera primum pelvim et urnam fecit, exinde facturus et caetera“ (seu caeteras substantias). Verba illa allegavi, quandoquidem adeo bene respondent Mosaicis: „in principio Deus fecit caelum ac terram“.

2) Legas hominis historiam ecclesiasticam Veteris No-

neris est, ita haereticum, quatenus doctrinam de universo ex materia per Deum producto ἐν τῇ γραφῇ repertam voluit, haud perperam impugnat. Scriptum est cap. XX advers. Hermog.: „auctoritatem scripturae mihi (loquitur Tertullianus) vindico, quod et Deus (forsan legendum est „Deum“), qui fecit, et

---

vique Testamenti edit. Paris. an. 1699, tom. III pag. 572. De Reichlin — Meldegg, cui debeas „eine Geschichte des Christenthumes von seinem Ursprunge bis auf die neueste Zeit“, edit. Friburgi an. 1830, in tomo I, qui die Einleitung zu dem Studium der Kirchengeschichte complectitur, de opere Natalis pag. 153 probabiliter judicat ita: „Die Eintheilung nach Jahrhunderten ist unzweckmäßig, die Ober- und Unterabtheilungen, Untersuchungen in Fragen und Antworten über Sätze, welche als Syllogismen aufgestellt, bewiesen, widerlegt und wieder bewiesen, werden, stören den historischen Ton“. At vero si adjicit, „das Ganze — — ist ledern (!) und dürre ohne Zusammenhang der Ursachen, Thatsachen und Folgen“, injuriosus in Natalem est. Universum opus vel ea de caussa jejunum esse nequit, quia (quemadmodum ipse de Reichlin — Meldegg ibidem fatetur): „Die Quellen sind angeführt, und mit Sachkenntniß geprüft“, itemque (pagina 155): „in der Geschichte des Neuen Testamentes vereinigt Natalis Gründlichkeit und Freimüthigkeit. Ueberall zeichnen sich Züge eines erleuchteten Katholiken, ebenso in der Behandlung der alten, wie der mittlern und neuern Zeit“, cf. exempla, per quae haec comprobantur, a professore catholico (de Reichlinum Meldeggium dico,) pag. 155 seqq. prolata. Eruditi homines Christiani Horatium, poëtam gentilem, ab injuriis temere illatis defenderunt; nonne defensionis officium multo magis nobis impositum esse debet christianorum theologorum respectu, de quibus inique judicatum est.

ea, quae fecit ostendens, unde fecerit, non proinde testatur. Nam quum in omni operatione tria sint principalia: „qui facit et quod fit, et ex quo fit", tria nomina sunt edenda 1) in legitima operis enarratione: persona factoris, species facti 2), forma materiae 3); si materia non edetur, ubi et opera 4) et operator eduntur, apparet ex nihilo eum operatum"5). Quae quidem, quin Veteris praecipue

---

1) Id est (juxta nexum orationis) proferenda.

2) Sive res singularis perfecta.

3) Praeclare Moreau: „per formam — intelligit (scil. Septimius) qualitatem materiae, puta aurum, argentum, lignum" caet. Hoc modo interna spectat τὸ forma Tertulliani, similiter atque apud Aristotelem in hoc: „Die Seele ist vom Körper unterschieden, aber als Form (εἶδος oder ἐντελέχεια) von demselben unzertrennlich", quae tanquam placitum Stagyritae a Tennemanno jure proponuntur libro, qui inscribitur: „Grundriß der Geschichte der Philosophie", edit. III, a Wendtio parata, pag. 108, 109. Adduco ego Tennemannum, siquidem graeca Aristotelis opera quum maxime praesto mihi non sunt. Quod restat, Jonas Conr. Schrammius in scriptione Helmstadii an. 1718 foras data: „Principia antiquae — — Aristotelicae philosophiae, in academia Julia tradita", philosophiam hancce „germanam ac solidam" vere nominavit.

4) Observatione vix indiget, τὸ opera non eam operam, per quam fit opus, denotare, (id quod Beatus Rhenanus perverse asserit,) sed ἔργα, quod cohaesione orationis docemur.

5) Equidem arbitror, adeo solam Dei *creatoris* notionem sive veri Dei notionem veram sat planum facere: Deum ἐξ οὐκ ὄντων neque de materia praejacente ea, quae extra Deum sint, produxisse; res namque si ita haberet, Deus instar effectoris humani foret.

Foederis respectu a patre ecclesiae pronunciata sint, dubium non est. Pergit enim in hanc fere rationem: „evangelium ut supplementum Instrumenti Veteris adhibebo, in quo vel eo magis debuerat ostendi Deus ex aliqua materia universa fecisse, quod illic 1) etiam, per quem omnia fecerit, referatur: „ „In principio erat Sermo (ὁ λόγος), in quo principio scilicet Deus fecit caelum et terram. Et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo. Omnia per ipsum facta sunt, et sine eo factum est nihil.“ “ Posteaquam Tertullianus initia Geneseos Joanneique evangelii hunc in modum commiscuerat, quae secum comparari quidem possunt, verum commiscenda nequaquam sunt (propter quandam scilicet diversitatem argumenti,) subjungit: „Quum igitur et (= etiam) hic manifestetur et factor i. e. Deus, et facta i. e. omnia, et per quem i. e. Sermo, nonne et *unde* omnia facta essent a Deo per Sermonem 2), exegisset ordo pro-

---

1) Augustinus etiam Testamenta nostra sanctissima appellat Instrumenta, quod quo sensu apud patres ecclesiae fiat, expositum est nota 4 praefationi isagoges meae in epist. Pauli ad Colossenses adjecta. Unde iterare supervacaneum. Evangelium autem Veteris Instrumenti supplementum a Florente iccirco videtur esse nuncupatum, quia, quomodo e nexu cum sequentibus colligitur: δόγματα nonnulla, quae in Vet. Testam. significata tantummodo sunt, clarius atque fusius per auctores Novi Foederis proponuntur.

2) Ait Septimius, locum I Genes. 1 contemplans, cap. XXII advs. Hermg. ἀληθῶς pie: „adoro scripturae plenitu-

fiteri, si ex aliquo facta essent? ita quod non fuit (scil. Deum ex aliquo cuncta fecisse), non potuit scriptura profiteri. Et non profitendo satis probavit, non fuisse".

Jam vero illâ Tertulliani sententiâ (nimirum: universum de nihilo esse factum, quia in scriptura sacra haud *manifeste* relatum sit, mundum ex materia praeexistente vel, latinius ut loquar, praecedente factum) annon potuit permoveri Hermogenes, ut defenderet: Cuncta facta esse ex materia, quandoquidem in ἱερᾷ γραφῇ haud manifeste narratum sit, quippiam de nihilo productum. Potuit, fateor, si pariter atque complures saeculi decimi octavi theologi putavit, hoc ipsum esse in bibliis sanctis non aperte relatum,

---

dinem". Loci quidem plenitudo (copia, πλήρωμα) cernebatur in eo, quod „et factorem manifestabat, et facta". Nihilo tamen secius is locus (aeque atque universum Vetus Testam.) supplemento egebat, quocirca addit presbyter Africanus: „in evangelio vero amplius (nempe:) et ministrum atque arbitrum rectoris invenio". Minister dicitur Sermo, quia per eum a Deo mundus est productus; arbiter rectoris, siquidem Deus juxta arbitrium i. e. dispositionem Sermonis sive sapientiae, quam tenet, sempiternae creationem mundi direxit. Ad vocem Sermo, quod attinet: τὸν λόγον Joannis magnus Origenes non insulse intelligit; „τὸν ἀπαγγέλλοντα τὰ κρύφια τοῦ Θεοῦ". — Quod reliquum, Augustinus quoque sacro codici convenienter: „non alia, inquit, Pater, alia Filius facit, sed eadem opera sunt Patris et Filii". Evolvas tractat. XVIII super Joann.

Quid? quod (uti ex cap. XXI advers. Hermog. patet,) 1) haereticus timorem, ne tale quid committeret, Tertulliano reapse injecit. At, quae erat in Tertulliano nostro mentis perspicacitas, non dubitat respondere haeretico: „etsi non aperte scriptura pronunciavit, ex nihilo facta omnia 2), sicut nec ex materia, non tantam fuisse necessitatem aperte significandi de nihilo facta omnia, quanta esset, si ex materia facta fuissent 3). Quoniam quod fit ex nihilo, eo ipso dum non ostenditur ex aliquo factum, manifestatur ex nihilo factum; et non periclitatur 4),

---

1) Occurrit illic: „*vide* ne diversa pars contendat" rel. Ernestius ea, quam laudavi, clavi ad Tullianum videre observat: „imperativus et conjunctivus ponitur pro vereor". Exemplis, quorum, dummodo observatio staret, Ernestius mentionem fecit, nescio an ex libr. III de officiis 29 hoc quodammodo annumerari queat: „videant, ne quaeratur latebra perjurio". Et haec quidem hactenus.

2) Ecce judicium Septimii de locis iis parum firmum, unde doctrinam de mundo ex nihilo creato emergere, in priori hujus libri appendice prolixius demonstraturi sumus.

3) Satius fuisset scribere: „fuissent facta", quippe quum insit in particula „facta fuissent" hexametri versus exitus, qui, si M. „Tullium audias, in fine enuntiationis vituperandus est.

4) Id est „periculum adibit; periclitari videlicet ad instar Graeci *κινδυνεύειν* Septimio saepius adhibetur. (Vide locos auctore Beato Rhenano ad cap. XXI, ubi verbum adeo ter obvium est, congestos). Inspice Xenophontis *Ἀπομνημονεύματα* lib. II, cap. 3, §. 17, quae Socratem hoc pacto loquentem sistunt: „*τί — ἄλλο* —

ne ex aliquo factum existimetur. — — Quod autem ex aliquo fit, nisi hoc ipsum aperte declaratur ex aliquo factum (dum illud ex quo factum sit non ostenditur), periclitabitur primo videri ex nihilo factum. — — Dehinc etsi ea sit condicione, ut non possit videri non ex aliquo (scil. factum,) proinde periclitabitur, ex alio longe factum videri, quam ex quo factum est". Sicuti auctores sacri (imprimis Paulus), quorum refert, ut non solum profundas, sed etiam, quantum fieri possit, perspicuas sententias cum lectoribus suavissimis communicent, ex iis, quae proposuerunt, omnibus conclusiones facere consueverunt, sic et Tertullianus ex iis, quae dixit supra, haec colligit: „ita (ὥςε) si ex nihilo Deus cuncta facere non potuit (scil. hoc ponitur duntaxat, nec vero approbatur a Tertulliano), et si scriptura non adjecisset, illum ex nihilo fecisse; ex materia eum fecisse, debuit edixisse, si — ex materia fecisset, quia illud (nimirum: quod Deus ex nihilo fecit,) in totum habebat intelligi 1), (id est: plane

— ἢ κινδυνεύσεις, (vernacule: du wirst riskiren) ἐπιδεῖξαι, σὺ μὲν χρηςὺς τε καὶ φιλάδελφος εἶναι, ἐκεῖνος δὲ φαῦλος τε καὶ οὐκ ἄξιος εὐεργεσίας". Monet Schneiderus apposite: post ἐκεῖνος δὲ esse „κινδυνεύσει ἐπιδεῖξαι" subaudiendum. — Glossarium, quod Semlerus suae Tertulliani editioni adjecit, perquam utile, sed non omnibus numeris absolutum.

1) Habes rationem loquendi, Ciceroni quoque probatam, lib. III de natur. Deor. cap. 39 ponenti; „Haec fere dicere habui de natura Deorum". Simillime auctores Graeci: ἔχω εἰπεῖν.

intelligi poterat,) etsi non significaretur; at istud (scil. quod Deus mundum ex aliqua materia fecit), erat in dubio, nisi aperte videlicet significaretur" (cap. XXI adv. Hermog.).

Quis autem, si modo praeconceptis opinionibus imbutus non est, quibus proh dolor! instructi nonnulli ad interpretanda ἱερὰ γράμματα vel inscii accedunt, suaque propter id ipsum decreta in γράμμασι facillime deprehendunt, id quod exegetici quidam libri recentes satis ostendunt, — quis, inquam, Tertulliano fidem non praebeat, cap. XXII advs. Hermg. libere aperienti: „an-de aliqua subjacente materia facta sint omnia, se nusquam (id est: „in evangelio, quod commonstrant antegressa) adhuc legisse". Laudandus est, quicunque in rebus dogmaticis, quae maximi momenti sunt, argumenta postulat, ex verbo Dei, utpote haud fallente, desumpta, quomodo scriptum exstat in opere aliquo Petrino (I epist. 1, 19): ἔχομεν τὸν προφητικὸν λόγον, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες 1), ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ". Laudandus item Tertullianus, clamans: „scriptum esse doceat Hermogenis officina!" (subintelligas: de materia esse facta omnia). Quoniamque, ut arbitror, extimescebat, ne haereticus, quod vellet, interpolationibus bibliothecae sanctae efficere tentaret, apposuit: „si non est scri-

1) Quam excellenter Waltherus quidam:
„Una Salus mihi sunt sacra biblia, sola voluptas,
Queis perscrutandis immoror, immoriar"!

ptum, timeat Vae illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatum 1). Prolatis hisce memorabilibus Tertulliani effatis — cum Hieronymo dico: „meum propositum est, antiquos legere et retinere quae bona sunt", — pergamus in decretis haeretici copiosius exponendis.

---

§ IX.

Describuntur reliquae materiae sempiternae qualitates 2).

„Omnis determinatio est negatio". Spinoza.
(Possit eodem jure dici: „positio".)

Hermogenem non aeternitatem tantum, sed etiam proprietates alias materiae suae vindicasse, vehementer nativum est. Non ita facile fovetur quispiam

---

1) Vae (οὐαὶ) illud pertinet proprie ad res adversas in ἀποκάλυψει Ἰωάννου descriptas, quas, quomodo biblicus auctor cap. XXII, 16, 19 denunciat, Deus infliget eis, qui dictis ἀποκαλύψεως propheticis aut adjunxerint aliqua, aut dempserint. Hoc vae particulare — vocula est Appuleji — redditur a Septimio universale (vox est Plinii lib. X epist. 71), quando ad miserias, quae adulterationem omnis omnino evangelii consequantur, transfert. Neque id mirandum venit in tam fervido ingenio.

2) Cicero alius cujusdam persona usus, lib. I academic. quaest. cap. 7: „Qualitates, ait, — appellavi, quas ποιότητας Graeci vocant, quod ipsum apud Graecos non

error, qui non alios secum trahat. Et res morales si respexeris, videbisne item, ut unum malum facinus alterum secum trahat? Quod de erroribus observavi, quumprimis in τοῖς αἱρετικοῖς 1) memoriae antiquae animadvertatur licet. Nostro quidem cap.

---

est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis" (subaudias: sic se habet). Idem cap, VI: „Dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, — — utamur verbis interdum inauditis". (Hoc ut mei mihi censores dent, rogo).

1) De Reichlin Meldegg pag. XVI operis supra excitati, not. 1: „Die Katholiken nehmen das allgemein Gültige an (κατα το ὁλον) daher καθολικοι; die Häretiker prüfen das als allgemein gültig Aufgestellte mit ihrer Vernunft, nehmen das Zusagende an, verwerfen das nicht Zusagende, sie wählen heraus, daher αἱρετικοι, theologische Wahlmänner δια το αἱρεισθαι". In ambiguo hoc effato oblivisci noli, καθολικοὺς etiam extitisse, qui doctrinas, nomine καθολικῶν insignitas, sana ratione examinarent, et ita demum, si verae sibi visae essent, approbarent; rursus haereticos esse inventos, abs quibus catholicae vel non explorarentur, ac statim, quia τῇ σαρκὶ displicuissent, reprobarentur, vel ratione cupiditatum perversarum ministra et erroribus infecta, cui in I epist. ad Thessal. 21 nullum certo praesidium offertur, excuterentur. Testis est historia ecclesiae Christianae. Inter ea, quae apud de Reichlinum Meldeggium „das als allgemein gültig Aufgestellte" audiunt, sive inter doctrinas ecclesiasticas, quot revera Christianae fuerunt, haereticis (citra satis idoneas caussas) improbatae! Quid? ipsene Hermogenes exemplo est? — Recentioribus temporibus quomodo doctrinae ecclesiasticae sint tractatae, docet vere venerandus Jo. Ge. Müllerus tom. I pag. 432 eximiarum lectionum „vom Glauben der Christen": „Man hat in

XXXV. advers. Hermog. haec attribuitur sententia: „Prima facie videtur nobis incorporalis esse materia; exquisita autem ratione recta (sententiave) invenitur neque corporalis neque incorporalis“. Quam vocem Hermogeni mordicus, ut ita dicam, retentam esse, non est, quod opineris. Nempe objicit presbyter Carthaginiensis: „Omnem rem aut corporalem aut incorporalem necessario esse, postque corporale et incorporale nihil esse tertium“ 1); additque: „fac

---

neuern Zeiten eine Distinction — von Luther Fündlein genannt — gemacht, zwischen christlichen (biblischen) und kirchlichen Lehren, selbst zwischen christlicher und kirchlicher Frömmigkeit, nach welcher alle diejenigen Lehren, die etwa einmal auf einem Concilium zur Sprache, oder in ein Symbol als Lehrvorschrift gekommen, ohne weiteres bloß kirchliche, unter Streit und Zank beschlossene Dogmen genannt, und als solche auf die Seite gesetzt worden (was doch bloß mit der scholastischen damals zeitgemäßen Einkleidung oder Bestimmung derselben hätte geschehen sollen) Da fast keine positive, unterscheidende Lehre des Christenthums ist, bei welcher das nicht einmal etwa der Fall war, so kamen sie dadurch allesammt in ein böses Gerücht, und die seichte Meinung wurde dadurch unterstützt, daß das Christenthum eigentlich keine Ideen, keine positiven ihm ausschließlich eigenen, unterscheidenden Lehren habe, sondern nur Moralien, in jüdische Zeitbegriffe gekleidet, enthalte.
Teneamus quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est“. Vincentius Lirin. in Commonit.

1) Hoc placitum Septimianum, quin satis rectum sit, equidem dubito. Quippe annon homines ex corporali parte, (i. e. corpore) et incorporali (i. e. anima), mixti sunt et compositi? Quodsi obvertetur, homines non esse res, annon quaeso istud saltem tegumentum, quo humanae animae in generali resurrectione futura in-

etiam esse tertium, quod jam inducat haereticus (scil. neque corporalem, neque incorporalem materiam), ubi est? quale est? quid vocatur"? Cujus objectionis vi Hermogenes haud scio an perculsus sit, utpote qui argumentis, quibus superior sententia

---

duentur, σῶμα erit πνευματικὸν (I Corinth. 15, 44) i. e. ex corporali et incorporali seu spirituali elementis constans, quamvis ejusmodi corpus (σῶμα δεδοξασμένον cf. v. 43, ein verklärter Leib) imbecilli, qua nunc praediti sumus, mente comprehendi a nobis nequeat. Quid? nonne Christus Jesus, quem (juxta diserta scripturae sacrae testimonia) fideles Christiani nominibus ad unum omnibus sequuturi sunt, σώματι tali πνευματικῷ, dum divina majestate gaudet, instructus est? — Caeterum possit sententia Tertulliani: „Omnis res aut corporalis, aut incorporalis sit necesse est", videri mira, si nimirum cum effato ejusdem scriptoris alio, quod cap. XI libr. de carne Christi occursat, contenditur: „Nihil est incorporale, nisi quod non est". Accedit, ut cap. XXXV advs. Hermg. doceat: „ipsa substantia corpus est rei cujusque", ut cap. VII libr. de anima „corporalitatem animae" defendat, postremo cap. VII operis advs. Prax. interroget: „quis — negabit, Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est (IV Joann. 24)? Spiritus enim corpus sui generis. Et invisibilia illa, quaecunque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quae soli Deo visibilia sunt". Septimius igitur duntaxat corporalia statuit, quamquam rebus invisibilibus, veluti Deo, subtilia assignavit corpora. Sed probe scias, patrem nostro loco cap. XXXV advs. Hermg. ingenue profiteri: „se (tantum) concedere interim, esse aliquid incorporale de substantiis", scilicet quo adversarium convinceret.

niteretur, (apud Tertullianum) non redditis, aliam proloqueretur, superioribus parum, uti videtur, convenientem: „ex parte corporalem esse materiam et ex parte incorporalem" 1), cap. XXXVI adversus Hermogenem. Explicationis ergo subjungit haereticus: „corporale materiae esse id, de quo (videlicet in actu creationis) corpora edantur; incorporale vero esse motum materiae inconditum", id est (vocula Liviana) inordinatum. Ita diviserat Hermogenes materiam substantialem 2) in partes duas atque adeo quasi alteram substantiae ejus partem motum proposuerat. Vitiose id plane! namque substantia (ὑπόστασις) 3) est res, quae reapse in se constat, et qui-

1) *Τὸ ἐναντίον*, quod, si Tertullianum exaudire decreveris, inter superiorem illam haeretici sententiam et posteriorem obtinet, nullus opinor evadet, dummodo verosimiliter ponas: haereticum per superiorem fuisse dicturum: materiem neque corporalem *totam*, neque incorporalem *totam* fuisse; verum ex parte corporalem rel. Tertullianus pro eo, quo in Hermogenem ferebatur, odio, sententias pervertere potuit.

2) Legitur phrasis: „substantialis differentia" apud Tertull. cap. 45 de resurr. carnis" (sive corporis).

3) In ore patrum quorundam *τὸ* substantia frequenter idem sonat, quod *οὐσία*. Me non fugit, in epistola a Gualthero theologo Helvetico ad Danielem Tossanum data deprehendi: „Relinquamus illa fatalia ecclesiae vocabula, substantia, essentia, substantialiter, essentialiter — — et quae alia sunt ejus generis, sophistis, quibus proprium est verbis ludere. Nos, qui spiritum fidei accepimus, cum Davide et Paulo dica-

dem sic, ut, quod τὸ εἶναι ejus attinet, alia re (creata, quae rursus sui sit generis) haud indigeat 1). Motus autem tale quid judicandum, quod ita demum est, si ex substantia aliqua ejusdemque pendet vita. Quapropter motus nequaquam ipsius substantiae pars existimandus, verum modus 2) (ἕξις, habitus), qui cum substantia est, sive quo est substantia 3). Recte facit Septimius, qui opinionem adversarii, secundum quam

---

mus: „„Credidi et propterea loquutus sum““ i. e. aperte, perspicue, simpliciter loquamur, ut qui nos audiunt, aut nostra legunt, quid dicamus quidve velimus, nosque serio et ex animo sic sentire et credere, intelligant“. At τὸ substantia parvum est verbum, quo multa exprimantur, item per se innocens; neque est, cur propter abusum ejus tollatur usus.

1) Ecce Ernestus Platnerus, vir subtilis, tom. I pag. 282 der „philosophischen Aphorismen“ (editionis novae) hoc pacto disserens: „Substanz wäre, nach den Forderungen der reinen (?) Vernunft ein beharrliches selbstständiges Ding, welches stets dasselbe bleibt unter dem Wechsel seiner Thätigkeiten, Wirkungen oder Accidenzen —, eine Kraft im engern Verstande. Accidenzen wären die verschiedenen Arten und Grade des Wirkens, oder Seyns einer Substanz“. Inde clarum est, Platnerum in notione substantiae definiunda mecum sentire.

2) Visum certe Spinozae est, motum tenere modum extensionis, nempe quae substantiae infinitae (sive Deitati) propria sit. — Ne in istiusmodi quidem systemate perverso, quo mundus quasi Pantheus repraesentatur, cuncta vestigia veritatis desunt.

3) Cf. episcopum Hipponensem „de decem categoriis“. — Nobis quidem non repugnat Augustinus, quum ait:

motus altera substantiae portio est, hoc dicto destruit: „motum esse accidens, si forte substantiae et corpori, ut actum et pulsum, ut lapsum". Item quaerit ex adversario ironice: „quid? si immobilem 1) placuisset tibi inducere materiam, numquid immobilitas secunda pars formae videretur? sic itaque nec motus".

Quam igitur et *corporalem* 2) et *incorporalem* voluerat esse materiam, eandem, priusquam mundus constructus ex ea sit, *confusam* rem et *incultam* fuisse, finxit haereticus, cap. XL adv. Hermg. Quomodo dedit, esse mundum hunc compositum formaque in-

---

„motus tres species habet, id est incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis". Itaque motus ne Augustino quidem judice complectitur qualitatem sive rem qua talem.

1) Rerum experientiam sequitur Tertullianus dicendo: „Omnia moventur aut a semetipsis, ut animalia, aut ab aliis, ut inanimalia, tamen nec hominem, nec lapidem et corporalem et incorporalem dicimus, *quia* et corpus habeat et motum".

2) Elucet ex cap. XXIIX adv. Hermg. satis perspicue: Hermogenem materiae, quoad durationem — vox est Liviana — infinitae etiam *corporalem* infinitatem attribuisse, sive „corporaliter immensam et incircumscriptam" — verba sunt Tertulliani — posuisse. Declarat ecclesiae pater: „si qui discipulorum tuorum voluerit argumentari (id est e verbis de infinita materiae natura Hermogenianis conficere,) quasi infinitatem aevi, non — corporis intelligi velis (i. e. ac si doceas, infinitatem tuam de infinitate temporali seu aeternitate, neque vero de infinitate locali seu corpo-

structum, ita fictionem istam stabiliturus, contendit callide: „ex compositis incomposita praeberi, id est ex mundo, quem aspicias hodie, composito 1), conspicuam fieri materiam adhuc incompositam" 2). Incomposita materia si intelligitur ea, quae compositionem quidem formamve, at haud satis habilem comptamque habet — neque enim est res corporalis, quae forma careat absolute — concedo, materiam incompositam ex compositis praeberi.

Sed ratio de *materia initio* (si de re, cui assignata est aeternitas, sic loqui licitum) *prorsus confusa*, quo solidius nancisceretur fundamentum, haereticus

---

rali accipiendam esse); — atquin corporaliter infinitam, corporaliter immensam et incircumscriptam — (sc. probatam tibi esse,) sequentia (scil. quae dicis) ostendunt". Quae apud Tertullianum videsis clare exposita.

1) Ornamenti nomine est apud Graecos mundus. Quippe κόσμος signat ornamentum, vel (Semleri ac Storrii judicio) III epist. Jacobi 6, quamquam id certe apud Apostolum huncce opus non est.

2) Reperiuntur cap. XIX adv. Hermg., quae superiorum confirmandorum gratia citamus: „Dicis in melius reformatam materiam, utique de deterioribus, et vis meliora deteriorum exemplaria ferre". Offendit, quod Moreau verba hac ratione interpretatur: „Vis Deum sumpsisse ex informi et mala materia exempla, juxta quae meliores species efformaret". Scilicet desideratur in interpretatione simplicitas ea, quam Boerhavius, unus ex medicis praestantissimis, merito judicavit veri sigillum. Commodius multo explanabimus: materiam formatam seu mundum specimina aliqua informis materiae etiamnum tenere. Exemplar ess ver-

omnem operam navabat, ut ex *sacro* etiam *codice* derivaret. Quoniamque, qua ratione finem sibi propositum attingere studuerit, perjucundum est contemplari, quippe quum interna indoles hominis hoc potissimum in genere magis manifesta reddatur, locum istum paulo prolixius persequamur. Redegit (Tertulliano cap. XXIII, cf. cap. XXIV adv. Hermg. teste,) voculam Hebr. haarets, I Mos. 1, 2 obviam — exstat apud Septimium antiqua versio latina: terra — in materiam, id est de materia non sine violentia exposuit. Vicissim Septimius docuit: „materiae nominationem non exstare in scriptura", id quod, modo de canonica, uti ajunt, scriptura accipiatur, merito asseritur 1). Probeque pergit: „si verbum terra (quod de singulari substantia vulgo adhiberetur,) materiae signandae accommodandum foret, tanto magis talem materiae nominationem, quae et terrae appellationem assequuta esset, in scriptura sacra existere debuisse,

---

naculum Copie (veluti literarum exemplar apud Marc. Tullium). — De caetero ab Augustino literis consignatum: „Deus creator est omnium, qui ubi et quando creari quid oporteat vel oportuerit, ipse novit: sciens *universitatis pulchritudinem quarum partium vel similitudine, vel diversitate contexat.* Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat et quo referatur, ignorat". Deprehendas gravissimam hanc vocem libr. XVI cap. 8 operis, excelsis sententiis perquam referti de civitate Dei.

1) Etenim libro *σοφίας* apocrypho XI, 17 vocabulum ὕλη occurrit. Inspice appendicem priorem hujusce libri.

ut sciret lector, terram commune cum materia esse nomen, item: ut ne nomen „terrae“ soli ei substantiae (id est terrae) vindicaret, cujus etiam proprium et in qua magis notum esset, vel ne illud omni materiae communicare posset, si vellet“ 1), cap. XXIV adv. Hermg. Nihilo tamen minus Hermogenes, quae erat viri in explicando codice Christianorum sacro licentia 2), praepropere defendit haec: „sane esse in scriptura terram aliquam, quam in principio Deus fecerit“ (Eamque I Mosis 1, 1 invenit haereticus). „Aliam vero terram esse materiam, quae, nostrae terrae fons, diceretur invisibilis et rudis fuisse“. (Habet scilicet Hebr. „thohu wabhohu“ 3) ob oculos). Quam quidem

---

1) Lactantius scite: „semper argumenta ex falso petita ineptos et absurdos exitus habent“, quod in Hermogenis argumenta saepenumero cadere, quis est, quin videat?

2) E contrario van der Hoeven is, qui ab Arminio Batavo, ni fallor, originem ducit: „Vere, inquit, dictum est a veteribus, optimum esse interpretem eum, qui proxime ad ejus, quem interpretatur, divinitatem accedat“. Cf. orationem viri lectu dignissimam „de germano theologo, litterarum Sacrarum interprete“.

3) Hebr. thohu proprie est vernaculum Leere (= status istiusmodi, in quo verbi caussa incolae nulli in terra conspecti), et Hebr. bhohu vernaculo Wüste potest enarrari, (ut terra citra animalia, arbores, plantas, quaeque alia ejusdem generis sunt, initio fuisse credatur,) cf. super verbis duobus cap. XXXIV Jesaj. 11; XXXI Deuter. 10. Heinemannus, philos. Dr., ad I Mos. 1, 2: „Gott schuf einen Urstoff, an sich selbst erd-

v. 2 reperisse sibi visus est. Idem capit. XXV. adv. Hermog. hoc pacto, nec sine quadam animi dexteritate: hanc (subintelligas terram nostram,) quae facta sit, ex illa, unde facta sit, vocabulum (scil. terrae) derivasse, quia verisimilius sit, ab origine sobolem potius, quam originem a sobole vocitari". Ast licitum erat, haeretico ex eis ipsis, quas amplexatus erat, opinionibus, tale quid opponere: Si terra nostra formam et conspectum consequuta a Deo est, illa autem (materiam dico) informis et invisibilis fuit, si nostra igitur externae condicionis respectu evasit ἕτερόν τι quam erat ea, unde prodiit, non potuit nostra nominatione sibi aliena cum illa consociari. Quid? quod Septimius haec et talia reapse objecit haeretico cap. XXV advs. Hermg. Hermogenes contra, artem notiones distinguendi aliquo modo callens edisseruit: „Materiam factam, (i. e. terram nostram) habere cum ea, unde orta sit, consortium generis, hinc etiam nominis consortium". In iis recordatus non est haereticus, obstare sibi eum, qui in vita communi obtineat, loquendi usum, quem prudenter observavit presbyter Africanus, dum sententiam haeretici sic refellit: „sese

---

nungslos und ohne bestimmte Form, doch aber den Keim zu allen irdischen Geschöpfen enthaltend, also ein völliges Chaos", nisi quod τὸ χάος philosophorum ethnicorum aliquid aeternum fuit, chaos vero Mosaicum (si modo hanc loquendi formulam in Mose usurpare fas est,) initium habuit temporale. Verba Heinemanni ex vernaculo specimine commentarii, quem in sacros Hebraeorum libros paraturus est, petita sunt.

testam, licet ex argilla confectam, jam non argillam vocare, sed testam; praeterea — electrum 1) licet ex auro et argento foederatum 2), nec argentum tamen, nec aurum appellare, sed electrum. Si quid ab habitu 3) alius rei divertat, pariter etiam a propria ejus appellatione recedere. Nostra vero terra, quam transierit de statu illius terrae, i. e. materiae inde, patere, quod nostra I Mos. 1, 31 testimonium boni acceperit 4), materia autem apud Hermogenem caussa malorum existimetur", cap. XXV adv. Hermg. Verum ut ne justo longiores simus, supersedere praestat recensendis rationibus caeteris, quibus Septimius pro-

---

1) Electrum Graeco ἤλεκτρον accurate congruit, quod haud scio an χρυσὸς λευκὸς apud Herodotum audiat.

2) Vocem laudabiliter illustrat Moreau per „compositum".

3) i. e. condicione, quomodo voculae Tertulliani sequentes aperiunt.

4) „Et vidit Deus quia bonum", ceu est apud Tertullianum. Repraesentatur in Hebraeo Geneseos textu Deus „eth chol ascher asah" aspiciens, deque eo dicitur „wehinneh tobh meod". Accurate parum de Hebraeis hisce notat Heinemannus: „Er (is est Jova) hat alles so angeordnet, daß selbst das scheinbare Böse sich in Gutes auflöset, und dadurch die Existenz des Ganzen und die Bestimmung des Einzelnen nach seinen weisen Absichten erfüllt wird"; neque enim de idea des scheinbar Bösen caeterisque quidquam in Geneseos capite primo legitur. Melius multo Ainsworth, Patrick, Parker: „Deum (contendunt in loco Mosaico,) mali nihil in operibus suis invenisse, auctorem peccati non fuisse, id quod Epiphanius (haeres. LXVI, n. 8) adversus Manichaeos annotaverit" caet.

babiliter cap. XXVI adv. Hermg. evincit, describi I Mos. 1, 2 nostrae terrae, quae vers. 1 memorata sit, qualitatem singularem.

Occurrit jam novum placitum haeretici: terram, cujus v. 2. mentio injiciatur, ideo judicandam esse materiam, quia dicatur (in Hebraeo) „hajethah", erat, quasi (i. e. tanquam talis, quae) semper fuerit. Verum enim vero quum neque in versiculo 2, neque in antegresso et consequentibus gravis ulla caussa adsit, quare vox „erat" notionem aeterni complecti putetur, quam quaeso violenta est ista vocis interpretandae ratio! id quod dilucidius apparebit ex iis, quae a Septimio ad vocem observata sunt, demonstraturo scilicet, τὸ erat per sese de aeterno aliquo haud necessario capiendum: „de omni re posse dici erat — —, etiam quae nata sit, quae aliquando non fuerit, et quae materia non sit. Omne enim, quod habet esse — — sive per initium, sive sine initio (sc. habeat), hoc ipso quod est, etiam erat dicitur". Sicuti τὸ est definit aliquam rem, ita declinatio verbi est (id e. erat) designat praeteritam ejusdem rei relationem ad aliam; videsis Septimium hic potissimum ultra modum σκοτεινόν). Quodsi apertum est, vocabula „terram" et „erat" in v. 2 ad nostrae terrae statum trahenda, ne stare quidem potest ista Hermogenis sententia, juxta quam materia in hoc versu invisibilis 1) et rudis vocitatur.

---

1) In universum probatum ivit Septimius cap. XXVIII

Attamen, quae *extremo* versu secundo deprehenduntur (I Mos. cap. 1): „Et tenebrae super abyssum, et spiritus Dei super aquas ferebatur“ (versionem Septimianam consulto adhibeo, ex cap. XXX adv. Hermg.

---

adv. Hermg., habitum invisibilem materiae non competiisse. Videtur, si audias Septimium, (cf. loc. cit.) haereticus posuisse, nihil quicquam, ne elementum quidem, aliquando fuisse, praeter Deum et materiam. Jam declarat presbyter Carthaginiensis: „si nuda materia Deo subjacebat, nullo scilicet elemento obstruente (i. e. quomodo apud Ciceronem quoque Arat. 44: „officiente“, quae vox in libr. V. quaest. Tuscul. 32 legitur) — — utique invisibilis esse non poterat. Quia etsi tenebras volet (sc. Hermogenes) in substantia fuisse materiae, etiam homini tenebrae visibiles sunt (hoc enim ipsum, quod sunt tenebrae, videtur,) nedum Deo“. Item quum, uti opinor, constet, ipsam materiae naturam cognosci non potuisse, si materia absolute invisibilis exstitisset, Tertullianus jure quodam suo interrogavit: „unde compertus sit (= compererit; utitur nimirum Tertullianus aeque atque Sallustius in Jugurtha 108 verbo deponenti comperiri, suntque plura ejus generis exempla per Beatum Rhenanum, virum diligentem, ad locum nostrum coacervata,) Hermogenes, informem et confusam materiam fuisse — —, aut si hoc a Deo revelatum sit, probare debuisse“. Praeterea ostendere quidem conatus est Tertullianus cap. XXXVIII advers. Hermog., aeternam materiem *rudem* appellari non posse; sed quoniam in hoc respectu *omnem* rem acu tetigisse, uti ajunt, non videtur, praeplacet argumentationem patris omittere. Equidem opinioni, secundum quam aeterna (quae perhibetur,) materia rudis est, haec pauca objecerim: Quicquid aeternum est (ergo unum tenet attributum divinum, quocum reliqua, quemadmodum supra dictum, sunt copulata,) perfectum sit oportet;

petitam), ea pro argumentis confusae, quam defendit, materiae constituit esse Hermogenes. Quod ad sensum vocabulorum rectius definiundum pertinet, aperitur 1 Mos. 1, 9, deinceps demum apparuisse siccam terram, posteaquam aquae sub caelo sitae divino jussu unum in locum collectae fuerint. Inde emergit, Mosen, dum versum 2 literis mandaverit, terram co-

---

atqui rude esse est aliquid imperfecti (ne Tertulliano quidem infitiante), itaque materia, quae aeterna creditur, rudis esse non potest. Notatu haud indignum, quod alicubi Augustinus docuit, licet hoc illove nomine ingeniosius quam verius: „informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primum caelum et terra; et dictum est: in principio fecit Deus caelum et terram, non quia jam hoc erat (?), sed quia hoc esse poterat (?! scilicet Augustini judicio materia quasi semen fuit caeli et terrae). — Quemadmodum semen arboris considerantes dicamus, ibi esse radices et robur et ramos et fructus et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt caet. Hanc autem adhuc informem materiam etiam terram invisibilem atque incompositam voluit (sc. Moses) appellare, quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa, quam caetera (?), invisibilem — — propter obscuritatem, et incompositam propter informitatem", cf. lib. I cap. 7 operis de Genes. contra Manich. Nonnulla, quae in effato Augustiniano continentur, cum placitis fere conspirant Hermogenianis; at multum differt Augustinus caeteroquin a pictore Africano, quoad materiam suam divinitus de nihilo creatam, Deo igitur „non — coaeternam" vult, quae sunt diserta verba Augustini in egregiis confession. lib. XII cap. 22 inveniunda.

gitasse aquis ubicunque opertam (cf. II Petr. 3, 5), ac verbo Hebraeo „thehom“ non ἄβυσσον 1) apertam significasse, sed potius repletam fluctibus abyssum sive aquas tanquam profundas 2). Quum igitur inter τὸ thehom et Hebraeum „majim“, quo simplex aqua designatur, aliqua intercedat adhuc differentia, quumque omnino relatio Mosaica (v. 2) tenebras, abyssum, spiritum Dei 3), aquam distinguat; adeoque

---

1) Ita audit Hebraeum illud in Alexandrina atque Vulgata, quam vocant, versionibus.

2) Τὸ „thehom“ compluribus locis, exempli gratia XXIIX Jobi 14, XXVI Psl. 7, VII Genes. 11 sonat: mare profundum. Romanus Tellerus, unus ex editoribus permagni illius operis, quod fere nuncupant „das englische Bibelwerk“, vere censuit: „eigentlich bedeutet es (subaudiatur vox, qua de sermo,) eine unergründliche Tiefe, worinnen eine große Menge Wasser“, et quae sequuntur.

3) Prodierunt recentiores theologi (cf. verbi caussa librum: „Bibelcommentar zum Handgebrauch für Prediger, Schullehrer und Laien caet; ausgearbeitet von einer Gesellschaft von Gelehrten, Altenb. tom. I, pag. 41; item versionem Werthemiensem), qui quorundam Judaeorum vestigiis insistentes, Hebraea verba „weruach elohim merachepheth“, interpretarentur hac ratione; „Ein sehr heftiger Wind stürmte“. Profecto concedendum, scriptores Hebraeos, ubi Jovae nomen rei alicui subjungant, magnitudinem rei hic illic velle expressam, quod ut comprobetur, locus LXXX Ps. 11 commentario, quem attuli, biblico merito laudatur. Verum enimvero contemplantibus nobis alios, veluti XLIV Jes. 2, 3; XXXIII Jobi 4; CIV Psalm. 30, itemque nexum versiculo Mosaico secundo cum primo intercedentem, in

singulari modo disponat, quatenus tenebras super abyssum, Spiritum super aquas latum narrat — quae quidem, quin presbytero Carthaginiensi probe perspecta fuerint, dubium non est, vide cap. XXX adv. Hermg. — quam inepte fecit haereticus, qui confusam, quam in deliciis habebat, molem massalem in quattuor istis deprehenderet! Sane vanum quid egit,

---

quo de ipso Deo actum erat, accurate inspicientibus, praestabilius, ut arbitror, judicabitur, particulam „ruach elohim" ad Spiritum e Deo prodeuntem, id est ad vim divinam, profundis aquis quasi incubitantem sive impendentem, referre; compara XXXII Deuter. II (ubi conjugatio Piel verbi „rachaph" itidem obvia.). Moses mea certe sententia indicaturus est, vim Dei habuisse propiorem relationem ad materiam liquidam, fuisse in ea efficacem, agitasse et quae sunt ejus generis reliqua. Vis divina nonne perhibetur in magnis viris infuisse (III Judic. 10), eosdemque movisse (II, 34; XIV, 6 al.) et per eos verba fecisse (II Sam. 23, 2)? — *Veteres* theologi, quam diverse super Spiritu Dei Mosaico senserint, Moreau succincte docet tom. II operum Tertulliani pag. 107, narrans: „Cajetanus illum Spiritum putat fuisse angelum, qui motum imprimebat et coelo. Ita et Procopius. (Quam arbitrario!) Aegidius, Deum ab initio movisse coelum et simul aquas. Valesius ignem, cujus calore foecundata sit aqua. Nyssenus Deum explicat eminentem super naturam angelicam. Chrysostomus vim quandam vitalem inditam aquis. Tostatus mentem Dei opificis, considerantem materiam sibi subjectam". Ex his Aegidius, Nyssenus, Tostatus ad genuinam sententiam Mosis propius sine dubio accesserunt, quam Valesius et Chrysostomus! — Hebr. „merachephet" est apud viros LXX: „ἐπεφέρετο".

dum studuit illis verbis, per quae ex parte saltem formata signantur — annon aquae etiam superficies ac forma sua? — demonstrare materiam esse informem 1). Quod cave putes mentem Tertulliani praeterivisse (cf. loc. cit). Jam videtur Hermogenes cap. XXXI, dummodo decretum de materia confusa 2) retineret, contendisse 3): de „coelo solo et de terra ista scripturam significasse, quod eam in principio Deus fecerit; de speciebus autem supra dictis (i. e. de tenebris, abysso, spiritu, aquis) 4) nihil tale; et ideo eas, quae factae non significentur, ad infectam materiam pertinere". Etiam presbyterum Carthaginiensem, eo, quem attuli, modo, vocabula „specie-

1) Septimius cap. XXX advs. Hermg. παραδόξως („nimis admirabiliter", quomodo Cicero vertit lib. IV Tuscul. disput. 16): „Uniforme, inquit — informe est". Qua in voce duntaxat hoc veri, quod informe quodvis pluribus speciebus seu formis destituitur. Venit mihi in mentem versus Ovidiani: „unus erat toto naturae voltus in orbe", dum effatum illud Septimianum considero.

2) „Poëtae — ajunt, chaos in principio fuisse i. e. confusionem rerum atque elementorum". Verba sunt Lactantii.

3) Forsitan conjectura tantummodo Tertulliani est, Hermogenem id, quod jam expodituri sumus, argumentum proloquuturum, quandoquidem ait Tertullianus: „et illud utique captabitur" (i. e. arripietur). Sed fac, conjecturam esse, cum caeteris opinionibus haeretici probe convenit.

4) Non (uti Moreau perverse explicat) „de foeno, plantis, piscibus, animalibus".

bus supra dictis" accepisse, hoc indicio est, quod cap. XXXII adv. Hermg. alios ex codice sacro locos profert, quibus abyssus, tenebrae, Spiritus, aquae facta esse nominentur; veluti respectu abyssi VIII cap. proverbior. gravissimorum, v. 24, 1) tenebrarum XLV Jesaiae 7 2), Spiritus IV Amosi 3) 13, aquarum

---

1) Habet praecipue prioris versiculi partis rationem, Hebraice ita sonantis: „been thehomoth cholalti", et secundum versionem Tertulliani: „prior autem Abysso genita sum" (agitur de sapientia). Possit quispiam quaerere: ubinam hoc loco abyssus perhibeatur facta? Verum etiamsi non κατὰ ῥητὸν perhibetur, apparet saltem ex loco, sapientiam, quum abyssi nondum exsitissent, natam esse. Quod si ἦν (scil. χρόνος), ὅτε οὐκ ἦν abyssus, haec sine dubio habuit initium, nata igitur sive facta est. Quod restat, Gesenius non perperam: Hebr. „been eigentlich: in dem Nichtseyn", cf. XV proverb. 22.

2) Hebraeum „choschech" physicas significare tenebras corporalesve, tanto est exploratius, quanto propius abest a vocabulo Hebr. „or" (lux). Vertitur apud Tertullianum: „ego (sc. Deus) feci tenebras". Opponit Whitius: tenebras propterea, quod sint lucis tantum absentia, rem (objectum, uti ajunt,) creatoris non esse. Sed annon passus est Deus, oriri et esse tenebras? in hac autem passione sita est quaedam actio. Idem quum secundum I Genes. 3 tellure demum creata produxerit lucem, hoc ipso effecit, ut tenebrae in terra dispellerentur.

3) Reperias hic Hebraea: „ubore ruach", apud Septimium: „qui — condit spiritum". Quem locum dum allegat pater ecclesiasticus, manifestum est, eum phrasin I. Genes. obviam: „ruach elohim" de vento in-

denique capite VIII eorundem proverbior. vers. 28, 30 1). Jam vero suspicatur Septimius, ad haec ab

terpretari. Congruum est interpretationi, quod Spiritus, „qui super aquas ferebatur", a Tertulliano nuncupatur „librator et adflator et animator universitatis". (Ventus exempli caussa nubes librare judicandus est, igitur partem utique universitatis). Insuper a verisimilitudine alienum non est, Hermogenem quoque loquendi formulam: „Dei Spiritum" sumpsisse de vento, quippe quam statuerit ad materiam suam pertinere. At vero Tertullianum quidem parum sibi constare, etiam inde perspicuum, quod cap. III scriptionis de baptismo: „solus liquor, inquit, — materia — simplex, de suo pura, dignum vectaculum (ὄχημα Neoplatonicorum) *Deo* subjiciebat". Mirum id plane venit in ecclesiae doctore, utpote qui cap. XXXII advers. Hermg. declaret: „Non, ut quidam putant, ipsum Deum (Geneseos loco) significari Spiritum. — — Neque enim aquae Dominum sustinere sufficerent". Argumentum profecto valde infirmum, siquidem vis Dei, cujus illic habetur mentio, non corporalis, neque quodam instructa pondere, verum penitus spiritualis est.

1) Vertitur locus in operibus Septimii hac ratione: „quum — firmos ponebat (sc. Deus) fontes ejus, quae sub caelo est (aquae profundae?), ego (verba de sapientia fiunt,) eram modulans cum ipso". Simillime interpretantur viri, quos videsis, Septuaginta Alexandrini. Legitur in textu, quem vocant, Hebraeo: „baasos *enoth thehom* — — — waehjeh etslo amon", unde est in comperto, proverbiorum auctorem, si verba ejus premas, de fontibus abyssi (ex abysso scatentibus, cf. annotationes Poli ad hunc loc.) loqui. Et fontes certe quid tandem aliud sunt, quam aquae singulari modo constitutae? De caetero, etiamsi literae sacrae sigil-

Hermogene responsum iri 1) „plane factas eas (suppl. quattuor species), sed ex materia; ut stilus quidem Moysis: „„et tenebrae super abyssum et Spiritus Dei super aquas ferebatur“ “, materiam sonet, caeterae vero scripturae, quae ex materia factae sint species, in disperso demonstrent“. Contra quae poterat sine negotio, ut arbitror, ullo, dici (cap. XXXII adv. Hermg.) materiam, si species haberet (cogita de tenebris, abysso, caeteris) non potuisse informem esse, tantoque minus, quia ex speciebus iis eaedem aliae (sub nominibus iisdem) confectae esse repraesententur. Hoc pacto operam et oleum perdidit haereticus, dummodo evinceret, terram, de qua in versu ineunte 2 legatur, materiam esse, et eam quidem invisibilem atque incompositam 2).

Hactenus, dum materiam ex opinione Hermogenis corporalem et incorporalem, item confusam at-

---

latim non significassent, abyssum, aquas rel. divinitus esse factas, suffecisset opinor, quod caelum ac terram (i. e. universum) a Deo facta esse declaraverunt, quippe quum in eo abyssus, aquae, spiritus (nempe si vox de vento accipitur,) tenebrae contineantur atque intelliganturn, cf. cap. XXXI. advs. Hermg.

1) Scriptum exstat cap. XXXII adv. Hermg.: „respondebitur *fortassis* ex diverso“.

2) Contendit Tertullianus cap. XXXIII adv. Hermg.: haereticum „materiam suam inter colores suos invenisse; neque enim inter scripturas Dei satis invenire potuisse“. Patrocinantur verba superiora sententiae, quam juxta Hermogenes exstitit pictor, sensu, quem nos delineavimus, corporali. Relegas §. III huj. libri.

que incultam consideramus, physica materiae attributa tractavimus. Eidem vero an *morale* aliquid inhaerere decreverit haereticus, jamjamque sumus disquisituri. Acclamat Tertullianus adversario plus vice simplici, velut cap. XXVII adv. Hermg. „nec bonam, nec malam pronunciasti" (subintellige materiam), unde fit clarum, Hermogenem eam quasi ἀδιάφορόν τι statuisse, (nimirum si omnino ita appellare placet, quodcunque quasi medium inter bonum malumque tenet, sive „et boni et mali affine" est, cf. cap. XXXVII, adv. Hermg.,) viros autem eruditos eos magno in errore versari, qui Hermogenem affirment materiam per sese malam introduxisse 1). Quodsi haereticus voluit materiam in universum „nec bonam, nec malam inducere" (vocabula habes Septimii cap. XLI adv. Hermg. ipsissima), idem in hoc sibi probe constitit, quod declaravit: „materia aequalis momenti habens motum, neque ad bonum neque ad malum vergit 2)". Tenemus ex superioribus, pictorem ma-

1) Moreau exempli gratia est is, qui tom. III editionis Septimianae pag. 129 voculas Tertulliani „de mali et boni ambiguitate super materiam" (cap. XXXVII adv. Hermg. inveniundas,) exponit hoc modo: „Hermogenes nunc bonam, nunc malam ambiguus et haesitans dixerat". Verum enim vero id ipsum editori patris erat probandum.

2) Quod in alio exemplari deprehenditur „vertit", non pessimum est censendum, modo vocula passive (ut Prisciani verbo utar,) capiatur pro vertitur, quo quidem significatu apud scriptores aliquos profanos fre-

teriae motum statuisse inconditum. Hinc Tertullianus, sicuti ad nugas adversario exprobrandas propensior est, ita ἀντίθεσιν aliquam inter illas ejusdem voces reperisse sibi videtur, docendo: „Si aequalis momenti (suppleas: motus est,) jam non turbidus, nec cacabacius 1), sed compositus et temperatus, scilicet, qui inter bonum et malum suo arbitrio agitatus, in neutram tamen partem pronus et praeceps, mediae, quod ajunt, aginae aequilibrato impetu 2) ferebatur. — Plane si in alterum magis proclinaret, tunc inconcinnitatis et inaequalitatis et turbulentiae denotari (= istarum qualitatum nota significari,) deberet". Sed non erat

---

quenter occurrit: veluti apud Plautum IV Aul. 10: „res tibi et gnatae tuae bene feliciterque vortat". Attamen externis auctoritatibus criticis neque iis despiciendis lectio „vergit" defenditur. — Apte, credo, alius ex cap. XLI advs. Hermg. hic citatur locus Tertulliani: „si neque ad bonum, neque ad malum pronior erat motus, utique inter bonum et malum agebatur".

1) Repetenda vox est a cacabo (graeco κακάβῳ, κακάβη, κακκάβη), quod est vas coquinarium (quomodo ait Plinius). Ex quo cacabacium intelligatur necesse est id, quod inaequale est, aeque atque in vasis coquinariis fervens aqua.

2) Agina Francisco Junio judice ab acu (acina?) deducenda. Nativius mea opinione derivatur ab agendo, forsanque trutinae lingulam sonat, quae, quandoquidem in foramine trutinae versatur, media appellaretur licebat. Fertur aliquid aginae aequilibrato impetu, i. e. (citra imaginem proverbialem) est aliquid motu aequilibrato. Non latet me, scriptum exstare apud

meo certe judicio caussae satis idoneae, quare paulo fervidior ecclesiae doctor repugnantiam putaret in dictis Hermogenianis sibi deprehendendam, quippe quum dicta facili hac ratione queant convenire: In eo, quod materia, antequam formetur, continenter 1) turbulenta sit, item neque ad bonum, neque ad malum vergat 2), aequabilitatem motus, quo affecta materia sit, conspicuam reddi. Theologus *γνησίως* biblicus etiam haereticis debet justitiam, quamquam perversis eorum commentis ad unum omnibus repudiatis.

---

§ X.

Delineatur ratio, qua Numen supremum ex materia mundum, si in universum spectatur, formaverit.

„Zu einer Geschichte der Schöpfung gehört unstreitig Offenbarung; mit einer Geschichte der Gesellschaft wird ein os grajum immer fertig." HAMANNUS.

Festum: „agina est qua inseritur scapus trutinae, i. e. in qua foramine trutina se vertit, unde aginatores dicuntur qui parvo lucro moventur"; at Tertullianus an aginam hoc intellexerit, nondum in aperto est.

1) Cf. cap. XLII advers. Hermg.

2) Platonem posuisse super materia, quae de sententia ejus nondum formata esset, aliquid simile, perspicuum est ex cap, XIV pag. 527 Timaei Platonici: „*Θεὸς ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν, οὐκ ἡσυχίαν ἄγον ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας*" Legitur in Knappii „Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre nach dem Lehrbegriff der evange-

„Quaerit homo — videre Spiritualia.“
Augustinus.

Materia ubi tandem secundum opinionem pictoris sita erat? docemur capite XXXVIII adv. Hermg. (quocum cap. XLI compares velim,) hominem materiam fecisse Deo subjacentem 1). Itaque Deus de mente haeretici suprà materiam versatus est ab initio. Jam vero (id quod cap. XLIII enarratur,) competebat Numini supremo „libertas motus“, id est ea naturae divinae qualitas, juxta quam (nulla nimirum intercedente turbulentia, ἀκαταστασία apud Paulum; inspice idem caput), hunc in modum movebatur, ut a nullo,

---

lischen Kirche“ tom. I pag 269. (edit. a Thilone): „Der Philosoph (nimirum, uti sequentia aperiunt, is, qui ingenio poëtico est destitutus) sieht keinen Grund, warum vor der jetzigen Ordnung Unordnung hätte vorhergehen müssen. Aber der Dichter stellt sich vor, wie es etwa aussehen würde, wenn in der gegenwärtigen Welt alles zerstört, und unter einander geworfen wäre. Dies nennt er Chaos“ et quae sequuntur. Platonem autem ingeniosis, quae perfecit, operibus poëtam frequentissime sese praestitisse, quis est, qui nesciat?

1) Hermogenem hoc quoque modo affatur Tertullianus: „Utique locum illi (materiae videlicet) assignas, qui sit infra Deum“. Hanc inter et aliam haeretici sententiam ἐναντίον τι inventum sibi esse opinatur presbyter Carthaginiensis, utpote qui ibidem contendat: „In loco ergo fuit materia; si in loco, ergo intra locum; si intra locum, ergo determinatur a loco, intra quem est; si determinatur, habet lineam extremam, quam agnoscis finem esse omnis rei, cujus linea extrema est. Non *ergo erit infinita materia*“ (videsis quidquid

quod versaretur extra Deum, ad motum cogeretur. Et reputantibus nobis, Hermogenem strenue voluisse, ut summum Numen sit idem aeternum, num mirandum erit, eundem motus quoque aeternitatem vindicasse excelsissimo Numini? (cf. cap. XLII adv. Hermg). Jacobus Apostolus, ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου IV epist. 8 lectores christianos exhortatur: „ἐγγίσατε τῷ Θεῷ καὶ ἐγγιεῖ ὑμῖν". Estque profunda vox ad communionem illam salvificam (ut loquar dogmatice,) referenda, quam Deus cum hominibus iis, qui verbi caussa ferventes per preces fusas ad Deum accesserunt, pro immensa sua gratia init 1). Hermogenes decrevit, supremum Numen motu suo materiae

---

de hoc placito pictoris supra expositum). At vero τὸ infinitum si non absolute accipitur, sed, uti ajunt, relative, si (clarius ut loquar,) intelligitur id, quod perlongum oppidoque latum est (quemadmodum Eutropius alicubi ait; „infinitum auri", nosque vernacule „unendlich groß"), haereticus haud scio an valuerit, et locum, et infinitatem (verbum est Ciceronianum,) materiae sine repugnantia ulla attribuere. Quid? quod? ne Plato quidem τὸ infinitum sensu penitus absoluto sumpsit, quum pag. 28 libri, qui „Philetus" inscribitur, asserit: oportere in uno infinito genere omnia reponi. ὁπόσ᾽ ἂν ἡμῖν φαίνηται μᾶλλόν τε καὶ ἧττον γιγνόμενα, καὶ τὸ σφόδρα καὶ ἠρέμα δεχόμενα, καὶ τὸ λίαν, καὶ ὅσα τοιαῦτα κ. τ. λ. Compara sodes, quae de notione verbo infinitum a magno disciplulo Socratis subjecta subtiliter disseruit Moshemius, pag. 976 dissertationis, cujus mentio supra nobis injecta.

1) Ob oculos obversatur effatum Marci Tullii Pagani:

adpropinquasse 1) (quomodo cap. XLIV adv. Hermg. literis mandatum est), easque duntaxat materiae partes, quae compositionem a Numine divino profecturam admitterent, sic formasse 2) atque ornasse, ut

---

„Deus occurrit nobis in precibus, optatis, votis", legas I de natura Deorum 14. Quin eximius Hilarius Pictaviensis eximie: „nullus, inquit, sine Deo, neque ullus non in Deo locus est". Evolvas libr. I de trinitate 6.

1) Respondet Hebraeo „karath", item „naghasch". Tertullianus cap. XLIV libr. cit. ironice: „Credo peregrinatus est (scil. Deus), ad illam de longinquo, quum primum ei voluit — appropinquare".

2) Deprehendit Septimius in eo, quod Deus materiae tantum appropinquasse sistitur, repugnantiam adversus τὰ ἱερὰ γράμματα, secundum quae (cf. prooemium Joann.) *per Sermonem* omnia facta sint, nec quidquam sine Sermone factum sit. Praeterea allegat locum Jeremiae LI cap. v. 15, quo legitur: „Fecisse (subaudi Deum) terram *valentia* (i. e. vi) sua, parasse orbem sapientia sua, et intelligentia extendisse caelum". Idem ecclesiae doctor haereticum alloquitur hoc pacto: „noli ita Deo adulari, ut velis illum solo visu et solo accessu tot ac tantas substantias (subintellige mundi nostri) protulisse, et non propriis viribus instituisse. — — Major est gloria ejus, si laboravit". Quid vero? si Hermogenes placitum, de quo agitur, cum sententiis biblicis *arbitrariae* interpretationis ope et quae profundas notiones biblicas non conservaret, conciliare poterat: Nempe si Deus vel materiae appropinquando „fecerit ex illa mundum" (cf. Tertull. cap. XLIII advs. Hermg.), consentaneum esse, Deum, dummodo rite faceret, et Sermonem suum (i. e. rationem, sive

pristinam naturam (confusam) relinquerent. Ex quo haud perperam conjecit Septimius: „desinere potuit (scil. materia) a natura post reformationem". Quodsi Deus de sententia Hermogenis uni-

---

uti habes in Vet. Foedere: sapientiam) et valentiam adhibere. Quin annon adeo ad materiae dextre ac fortiter appropinquandum ratio et virtus Deo necessariae fuissent? Et poterat Hermogenes Tertulliano concedere, ipsam hanc virtutem ad invisibilia illa Dei pertinere, quae — ut verba Septimii usurpem — ab institutione mundi „de factis" (Beatus Rhenanus simpliciter „factis" legi jubet, id quod non nego lectionem esse difficiliorem ac Paulino τοῖς ποιήμασι I Roman. magis respondere) conspiciantur. —

Pro „valentia", qua Deus in universo producendo usus est, in literis sacris hic illic, veluti XLVIII Jesaj. 13, manus Dei commemoratur. Augustinus itaque: „ne putetis, ait, quasi aliud Deum facere manu, aliud Verbo. Quod facit Verbo, hoc facit manu. Non enim distinctus est corporeis membris, qui dixit: „„Ego sum qui sum"". Et forte Verbum ejus est manus ejus. Certe manus ejus est virtus ejus. Quia enim dictum est: „„Fiat firmamentum et factum est firmamentum"", Verbo intelligitur fecisse. Quia vero dixit: „„faciamus hominem"" caet., quasi manu videtur fecisse. Audi ergo: „„opera manuum tuarum sunt caeli"". Ecce quod Verbo fecit, utique etiam manibus fecit, quia virtute sua fecit, quia potestate sua fecit". Inspice episcopum Hipponensem ad CI Psalm. Quid? quod Tertullianus cap. XLV advs. Hermg. non modo Sermonem (seu Filium Dei), sed Spiritum etiam Dei manus ejus (ambas) declarat, per quas operatus sit ea, quae molitus est. Ad me quod attinet, fateor: Virtutem adeoque Sermonem et Spiri-

versum in oculos incurrens proprie haud creavit 1) — nam si ita res habuisset, Hermogenes aeternam aliquam, cujus jam sexcenties facta mentio est, materi-

---

tum Dei manus ejusdem in creationis opere ita posse secundum biblia appellari, *si divinae, quam tenent, perfectioni nihil derogetur*, (hoc autem vitio ἡ ἀπιστία saepe implicatur).

1) Quemadmodum authentiae canonicorum, qui in bibliotheca sancta continentur, scriptorum, clarior affunditur lux, ubi cum ἀποκρύφοις accurate contenduntur, propterea quod summa canonicorum prae ἀποκρύφοις praestantia hoc modo patet, sic κοσμογονία Mosaica multo pluris aestumabitur, posteaquam cum Hermogeniana diligenter fuerit collata. Munkius quidem, integri judicii vir, in opere: „Gehler's physikalisches Wörterbuch" sub voce „Geologie" eo respectu prolocutus est haec, dignissima, quae latius propagentur: „die mosaische Kosmogonie und Geogonie ist ohne Widerrede die beste unter allen Versuchen dieser Art, und läßt die letztern insgesammt weit hinter sich zurück. — — Die biblische Urkunde, (supple: rückt) das ganze Problem (de rebus videlicet exortis) sogleich aus dem Gebiete der rationalen Forschung in das des religiösen Glaubens, wohin es für den beschränkten menschlichen Verstand ganz eigentlich gehört. Sie sagt: Gott schuf, und um hiebei sogleich jeder weitern Frage zu begegnen, giebt sie zugleich das Wodurch und Woraus dieser göttlichen Schöpfung an, indem es heißt: durch sein allmächtiges Wort und durch (melius: aus) Nichts. In der geschaffenen Welt wurde auch der Erde ihr Platz angewiesen, ihre Ausbildung erfolgte gleichfalls durch den allmächtigen Willen des Schöpfers in Tagen (Zeiträumen, deren Länge unbestimmt bleibt), bis sie zum Wohnplatze solcher Wesen geeignet war, welche sogleich vom Anfang an, den alleinigen Gott aus

men dispartibilem declaravit 1), attributa, quae aperte secum pugnent, materia vindicata voluit, neque adeo subtilem in cogitando vim hic monstravit. —

Idem vero, dum Deum statuit *appropinquando materiae* mundum condidisse, cum Gnosticis quidem parum consensit, quippe quibus judicibus res ita esset comparata: Produxit summus Deus ἐκ τοῦ πλούτου τῆς δόξης ἑαυτοῦ spirituales aliquot et invisibiles naturas, quibus a Gnosticis nonnullis nomen τῶν αἰώνων impositum. Ex iis, si Cerinthum audias, (cfr. Paulus Heidelbergensis pag. 88 sqq. libri: „introductionis in Nov. Testament. capita selectiora") una, aut, quomodo Saturninus voluit, septem (ἄγγελοι κοσμοκράτορες) mundum corporis oculis conspiciendum for-

---

cuntur: „apud quem nulla locum habet mutatio (qualis est siderum,) neque obumbratio ex conversione oriunda, (cujus benignitas est *immutabilis*".) Davides Julius Pottius in perpetua, quam confecit, annotatione ad epistolam Jacobi operam navavit, ut notiones vocabulorum παραλλαγὴ (quod interdum idem est cum παράλλαξις), τροπὴ, ἀποσκίασμα subtilius definiret; verumtamen theologus ipse Gottingensis a falsa ista opinione, juxta quam subtiles illae finitiones voculis in loco *quovis* inhaerent, jure suo alienus est.

1) Pictor Africanus in partibus materiae sibi sempiternae assignandis sibi constitit tanto minus, quia (Septimio cap. XXXIX advs. Hermg. aperiente) praescripserat: (id est doctrinae de universi ex natura divina emanatione objecerat, cf. VII Quintil.) „Deum — in partes venire non posse, utpote qui sit aeternus et manens in aevum (Hebraic. leolam), ac per hoc immutabilis

mavere, ut de Gnosticorum sententia Deus mundum ad summum vehementer μέσως effecerit. Altera ex parte est etiam, ubi Noster atque Gnostici haud differant, veluti in ponendis binis ἀρχαῖς (aeternum dico Numen supremum, materiamque aeternam), in placitis per imagines singulares illustrandis; quod Nostro adamatum esse, scriptio adv. Hermg. cap. XLIV et XLI affatim comprobat. Isque consensus non ita multum offendet eum, qui perpenderit, vitam Hermogenis in idem saeculum secundum, quo haud pauci theologi Gnostici floruerunt, incidere.

Quod reliquum est, in iis, quae pictor de mundo ex materia producto 1) eloquutus est, *veritas, licet maxime deformata,* inest, si modo verum existimatur, quod docet Anselmus clarissimus, ar-

---

et indivisibilis". Exstat locus παράλληλος posterioris ejus sententiae rectae apud Augustinum lib. X de civit. Dei: „Deus non omnibus quam in singulis major, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur".

1) Quoad Deus secundum suam videlicet ideam formavit mundum, is quidem haud dubie exstitit aliqua supremi Numinis φανέρωσις. Possit tamen quaeri: an Hermogenes cum Blaschio prorsus conspiraturus fuisset, alicubi ejusmodi vocem mittente: „Gott nennen wir das ewige, unendliche Geheimniß, wovon das wechselnde Leben der Welt als eine ruhende Entwickelung, ein ewiges Offenbarwerden, das Weltall selbst aber und dessen Harmonie die vollendete (??) Offenbarung ist"? Nobis quidem juxta scripturas et internam experientiam persuasissimum est, Jesum Christum solum esse „die vollendete Offenbarung Gottes" (I Hebr. 3; I Coloss. 15; I Joann. 1, 14).

chiepiscopus Cantuariensis: „nullo — pacto fieri potest aliquid rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione praecedat aliquod rei faciendae quasi exemplum, sive, ut aptius dicatur, forma“ (cap. 9 monologii), si Deus igitur ex forma (seu idea) mundi, quae in ratione Dei perfectissima versata erat, universitatem rerum condidit. Haec cum grano salis, quemadmodum dicta sunt, ita a lectoribus intelligantur velim.

---

§ XI.

Quaeramus, quam originem substantiae spirituales, quae corporibus humanis insunt, de Hermogenis sententia sint sortitae?

Paulus Apostolus ad Athenienses: „καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν“.
XVII Act. Apost. 28.

Deprehendit divinus, cujus modo mentionem feci, Apostolus (I Thessl. 5, 23) quolibet in homine partes tres: primam τὸ πνεῦμα spiritum, quomodo fere loquuntur dogmatici, spiritualem intellectum, unde verbi caussa cogitata proveniunt, quo (Lactantio docente, cap. XVIII operis de opificio Dei) sapimus, alteram τὴν ψυχὴν, animam inferiorem, ἄλογον, in qua τὰ πάθη (affectus), quaeque sunt hujus generis reliqua, continentur. (Hunc in modum apostolicus epistolae ad Hebraeos au-

ctor, cujus νοήματα in universum esse Paulina, ingeniosus Origenes acute perspexit 1), voces ψυχὴ ac πνεῦμα IV cap. 12 videtur usurpare 2)); tertiam τὸ σῶμα, quo tum ὁ νοῦς tum ἡ ψυχὴ continentur 3), uti ab auctoribus Romanis (exempli caussa Lucretio,) et Graecis (cf. Gatackerum ad lib. III Marci Antonini 4) vas atque σκεῦος pro corpore humano crepantur. Non sat gravia adsunt argumenta, quare vir is doctus, cui novissimum commentarium perpetuum in epistolas Pauli ad Thessalonicenses debemus, pag. 120 not. 1 judicaret: „Usteri — recte animadvertit hanc trilogiam nil nisi formulam (?) esse, qua nihil docere velit Apostolus". Immo vero allata trilogia 4) haud dubie docturus est Apostolus,

---

1) Inspice Eusebium Caesareensem lib. VI histor. ecclesiastic. 25.

2) Acceptam referas G. Altmanno scriptionem singularem, an. 1746 Bern. publici juris factam, qua sermo est: „de spiritus et animae integritate, et de differentia, quae inter vocem πνεῦμα et ψυχὴ in hoc et aliis epistolarum Pauli locis (significatur praecipue superior I Thess. 5, 23) ponenda est".

3) Prodiisse in populo Hebraeo, qui vel quadripartitum vellent esse hominem, ex effato perspicuum est, quod Isaaco, nomine Rabbi insignito, attribuitur: „Beati sunt justi in hoc et futuro mundo; nam toti sancti sunt, *corpus* illorum sanctum, *animus* illorum sanctus, *spiritus* illorum sanctus, *anima* ipsorum est sanctum sanctorum".

4) Contendit Aben Esra verissime: „hominem non posse

quasnam hominis Christiani partes irreprehensibiles cupiat servatas. Praetermitto ὀρθοδόξους Christianae religionis doctores, quibus visum est, vestigiis Pauli respectu trilogiae insistendum, veluti Clementem, eximium ecclesiae Alexandrinae presbyterum 1), quamquam a doctrinis aliquibus, τοῖς καθολικοῖς probatis, nonnihil recedentem; scilicet opiniones Hermogenis haeretici tractare propositum est. Hominem mortalibus praeter corpus assignasse animum ac spiritum, ex iis, quae jamjamque prolaturi sumus, clarum evadet:

Deum cognitum habere, nisi animum, animam, corpus denique suum cognoverit". Lege doctorem Hebraeum ad XXI Exod 18. Plotinus etiam, qui ab asseclis instar Dei habitus est, decrevit: „τὸν ἄνθρωπον συνεστάναι (ἐκ) σώματος καὶ ψυχῆς καὶ νοῦ", teste Nemesio, quem constat de natura humana confecisse librum. Meminimus dicti a philosopho Germanico pronuntiati: „Das Heidenthum ist die sternbesäete Nachtseite der Religion". Si verum est, quod vult Justinus martyr, excellentiores philosophos Graecorum, ut Socratem, fuisse μετὰ λόγου τοῦ Θεοῦ βιώσαντας, sufficientem opinor dicti caussam habes.

1) Vide Clementem libr. III στρωμάτ., pag. 454. De anthropologia doctoris ecclesiastici plura disputavit et docta Herm. Ernest. Ferdinand. Guerike, part. II, pag. 139 sqq. operis, quod inscribitur: „De schola, quae Alexandriae floruit, catechetica". Elucet ex trilogia, quam attulimus, dicti alicujus Gregoriani sensus: „μυστήριον τῆς τρισυποστάτου Θεότητος" (Divinae essentiae e personis tribus constantis) homini esse insitum. Evolvas tom. I operum Nysseni pag. 856.

Aperiunt capita III, XI, I libri de anima, insuper cap. XVI scripti de monogamia, pictorem materiam designasse, (non corporis solum humani, id quod per se intelligitur, sed) animae humanae fontem. In hoc placitum, qua ratione inciderit si interroges, equidem respondeam: observaverat in animis perturbationum multitudinem, pravas cupiditates, omnino vitiositatem. Sane concesserit haereticus, productionem animarum ex nihilo, — verbis utor Moshemianis 1), ad finem meum adaptatis — Numini supremo physice 2) quidem possibilem, at idem decrevit indignam eodem 3), sive moraliter impossi-

---

1) Petivi e commentariis, quos perillustris vir de rebus Christianor. ante Constantinum Magnum non sine multo mentis acumine exaravit, pag. 453.

2) Exstiterunt, qui virtutes Numinis supremi distribuerent in ontologicas, quas inter exempli gratia simplicitas et aeternitas relatae, physicas sive physico-theologicas, in quibus praeter alias reposita est potentia (Hebr. gebhurah), morales, de quibus sanctitatem (ὁσιότητα) allegare lubet. Divisionis mentionem fecit Hahnius, pag. 182 „des Lehrbuches des christlichen Glaubens"; sed habet divisio hoc incommodi, quod physica attributa, quae eadem metaphysica nominari queunt, velut mens Dei, simul ontologica (i. e. λαλοῦντα τὸ τοῦ Θεοῦ εἶναι, τὴν, οὐσίαν τοῦ Θεοῦ,) existimentur licet. Unde tres attributorum divinorum classes resolverim in duas, nempe ut de physicis ac moralibus in Deo ἀξιώμασι cogitetur.

3) Deus videlicet est sanctus, ἅγιος (Hebr. kadosch). Ab Reinhardo pag. 124 „der Vorlesungen über die Dogmatik" intelligitur sanctitas illud attributum, quo Deus

bilem esse. Relegas, quae § VI creationis mundi ratione exposita sunt simillima. Jam vero ut statuit, confusam materiam esse quorumlibet vitiorum principium — qua de re posthac prolixius viderimus —, ita prorsus consentaneum erat, quod defendit, materiam (nunc vitiosarum quoque) animarum evasisse fontem, tametsi ex facili opinor dederit, materiam eam, qua vis ac natura animarum constituantur, subtiliorem esse, quam crassorum corporum humanorum materiam. Convenit in hac ipsa sententia Hermogeni cum paganis, adeoque cum Christianis aliquot. Ex numero quidem paganorum dicuntur a Septimio 1) multi animam „de manifestis corporalibus" (suppleas: elementis) „effinxisse, ut Hipparchus 2)

---

nonnisi honesta et bona appetit et probat"; a Knappio pag. 179 „der Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre" caet. „Diejenige Eigenschaft, vermöge deren er das sittliche Gute nothwendig und unveränderlich will, das sittliche Böse hingegen verabscheut". Prior posterioris definitionis pars, quam similis est Reinhardianae! Singularior magisque philosophica videtur esse finitio de Ammonii: „consensus voluntatis liberrimae perfectissimus cum legibus intellectus sapientissimi". Inspicias magni theologi Dresdensis summam theologiae Christianae.

1) Positum ob oculos est cap. V libr. de anima.

2) Si auctore Plinio Hipparchus docuit: „animas nostras partem caeli esse" (cf. historiam natural. libr. II, cap. 26), cave praecipitanter decernas, presbyterum Carthaginiensem hoc potissimum nomine scriptori Romano, naturae curiosissimo, refragari, quandoquidem vox caeli potest ad ignem e caelo profectum bene ad-

et Heraclitus ex igni, ut Hippon 1) et Thales ex aqua 2), ut Empedocles et Critias ex sanguine 3),

---

modum referri. Talem videlicet ignem errore quodam sibi finxerat animae fontem. Praeterea noli cum Francisco Junio, theologo caeteroquin non spernendo, immo praestantissimo putare, pro voce Hipparchus legendum esse Hippasus. — Teste Cicerone I Tuscul. quaest. 10 Zenoni Stoico animus ignis videtur.

1) Fuisse Rhegino huic *τὸ ὑγρὸν* instar *ἀρχῆς* rerum universitatis, non soli Tertulliano agnitum est, cf. Alexandr. Aphrodisi. in metaphysic. Aristotel. I, pag. 12.

2) „De aqua principio Thaletis" exstat Henrici Mülleri scriptio, an. 1719 in vulgus emissa. Affirmavit autem Milesius, *τὸ ὕδωρ omnibus* rebus pro fonte esse, „weil in dem Samen der Dinge Feuchtigkeit und Wärme als das Belebende erkannt werden". Sumpta sunt vera haec verba Germanica ex libro reapse Christiano: „Die Lehre von der Sünde und vom Versöhner, oder die wahre Weihe des Zweiflers", pag. 240, edit. II. Ibidem subjungitur praeclare: „der Pantheist der niedrigsten Stufe erblickt bloß überall materielles Leben, und verehrt es als solches, ohne über seine Quelle zu forschen. Tritt die Betrachtung hinzu, so erhebt er sich auf die zweite Stufe, und sucht nach physischen Prinzipien, nach den Grundkräften des allverbreiteten Lebens, auf dieser Stufe standen die Joner". Thales et Anaxagoras Clazomenius, quem scimus rationalem universi caussam *νοῦν* statuisse, principes scholae Ionicae philosophi a Godofr. Ploucquet (cf. commentation. viri philosoph.) recte judicati.

3) Locus, quem fere vocant parallelum, lib. I, Tuscul. quaest. cap. 9 deprehenditur: „Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem". Ad hoc legas Sextum Empiricum I advers. mathematic., 303. Critias sine dubio minoris, quam Empedocles, nominis ac famae est. Prodiit Lipsiae, saeculi nostri initio

ut Epicurus ex atomis, 1) (si et atomi corpulentias de coitu suo (σύγκρισις) cogunt), ut Critolaus et Peripatetici ejus ex quinta nescio quà substantia (si et illa corpus, quia corpora includit 2)". Idemque ecclesiae doctor cap. IX operis „de anima"; „hoc

haec in lucem scriptio: „Empedocles Agrigentinus. De vita et philosophia ejus exposuit, carminum reliquias ex antiquis scriptoribus collegit" caet. Guil. Sturz.

1) Cicero libr. I de natur. Deorum cap. 43: „cujus (i. e. Democriti) fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit"; et cap. 26: „quid est in physicis Epicuri non a Democrito"? Postremò lib. I Tuscul. quaest. cap. 11: „Democritum — laevibus et rotundis corpusculis efficientem animum, concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil enim est apud istos, quod non atomorum turba conficiat". Quod attinet ad placitum Epicuro de anima arridens, adi, si placet, Diogenem Laert. X, 63, sqq.

2) Moreau vocubula ista interpretatur in hanc rationem: „si tamen anima ideo corpus est, quia eminenter in se corpora illa quattuor elementaria (i. e. aërem, ignem, aquam, terram) continet, ut sit ipsa quinta quaedam essentia, et substantia ex ipsis expressa". Verum enimvero animum ex quattuor, quae appellavi, corporibus elementariis secundum opinionem Peripateticorum compositum esse, perquam dubium. Quin Marc. Tullius libr. I academic. quaestion. cap. 7 mittit hanc vocem: „Quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare, eorumque quattuor dissimile — Aristoteles quoddam esse rebatur". Quintum id genus (quomodo patet ex libr. I Tuscul. disputat. 10) est „vacans nomine", unde lux affunditur effato Septimii: „quinta nescio qua substantia". In universum vide-

(scil. ut aer sit ipsa substantia animae) Aenesidemo 1) visum est et Anaximeni 2), puto secundum quosdam

---

tur esse dicturus: „Aristotelicos eos, qui Critolai vestigia premant, animos ex substantia quadam corporali profectos esse volunt, si modo snbstantia haec propterea est corporalis, quia (tanquam anima) forma corporum est". Ita fluctuat Tertullianus ipse, an animus juxta quorundam Peripateticorum opinionem ex substantia corporea ortus, atque ipse corporalis sit. Et profecto Aristoteles „ipsum animum ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quasi quandam *continuatam motionem et perennem*". Vocabula habes in lib. I Tuscul. quaest. cap. 10 obvia. Nihil repugnat sibi vox Aristotelica: „τὸ — εἶδος ἐντελέχεια". et alia, „animum idem non esse cum corpore", cf. quae supra mihi notata, et Leibnitium etiam de vocula ἐντελέχεια disserentem lib. I Theodic. § 78.

1) Spectat huc, quod cap. XXV scripti de anima deprehenditur: Feruntur ibidem aliqui respectu partus humani praesumere solam substantiam carnis; „eam editam, et de uteri fornace fumantem, et calore solutam, ut ferrum ignitum et ibidem frigidae mersum, ita *aëris rigore percussam*, et vim animalem rapere et vocalem sonum edere. Hoc Stoici cum Aenesidemo" (scil. sumunt). Ita vis animalis aëri, adspirationi nascentis infantis, originem suam debet. Legas praeterea cap. XIV, ubi anima cum flatu in calamo contenditur.

2) Quod Anaximenes Milesius animam nuncupat aëriam naturam, eo minori est offendiculo, quo certius est, virum vel Deum „aera statuisse, eumque gigni esseque immensum et infinitum et semper in motu", quae in lib. I operis Tullian. de nat. Deor. cap. 10 reperias. Memoratur apud Diogenem Laertium I, 3: ἀὴρ καὶ τὸ ἄπειρον, neque vero id quidquam sibi vult, nisi (per ἓν διὰ δυοῖν): ἀὴρ ἄπειρος (est Deus).

seos capite significatam voluit. Verum enimvero eis, quorum in ipso hoc paragrapho 1) mentionem fecimus, accommodate haereticus hoc quoque sensu appellandus est materiarius, ut exprimat hominem, initium materiale 2), ideoque etiam vim ac naturam materialem humanis animis praestare vindicantem 3). At noli tamen pictorem instar puri puti materialistae, uti ajunt vulgo, contra jus fasque statim habere 4);

---

1) Vocula est Isidori I, 20.

2) Apud Macrobium I cap. 12 somni Scipion. fit „influxionis materialis" mentio.

3) Reinhardus pag 248: „der Vorlesungen über die Dogmatik" caet. edit. IV. „Hier merken wir, inquit, noch an, daß die Lehren des Christenthumes sich auch mit den Grundsätzen des Idealismus und Materialismus vereinigen lassen, wie man sehr deutlich aus den Beispielen des Idealisten Berkeley, und des Materialisten Priestley sehen kann". Verum tamen hoc etiam probe notandum, divinam Jesu Domini religionem, ubi cum idealismo atque materialismo (liceat formulis dicendi, e communi vita petitis, quamquam barbaris illis, uti!) commisceatur et confundatur, non posse non in his illisve locis plus minusve mutari, quin depravari: id quod ecclesiae et religionis, quam dixi, historia, quae in universum praestantissima vitae magistra luxque temporum est, satis perspicue testificatur. Cuinam Gnosticorum et crassorum Chiliastarum, per secundum post Christum natum saeculum in ecclesia exortorum, in mentem non venit? Christi religio idealismum inter et materialismum medium potius tenet pulcherrimum.

4) Jam Francisc. Walchius Gottingensis is fuit, qui tom. I „des Entwurfs einer vollständigen Historie der Ketzereien, Spaltungen und Religions-Streitigkeiten bis auf die Zei-

quippe praeterquam quod nihil obstat ὑποθέσει, Numen ter optimum maximum judicio Hermogenis naturam esse revera spiritualem 1), affirmavit, homines aliquid spirituale (quasi *σπέρμα* caeleste) per gratiam (ineffabilem) divinam tulisse, dum nimirum e materia producerentur 2). Nempe (quemadmodum capite XI de anima docemr,) dictu m Mosaicum (excito versionem LXX virorum): „*καὶ ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς* (Hebr. aphar min haadamah) *καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς* (Hebr. nischmath chajjim) *καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν* (Hebr. lenephesch chajjah) sic capere ei placuit, ac si non Hebr. „nischmath" Mosi perscriptum esset, ve-

---

ten der Reformation pag. 582 ingenue profiteretur: „Daß Hermogenes im weitläuftigern Verstande unter die Materialisten zu zählen". In historico illo opere, observationibus eruditis mirum quantum referto, dolendum, quod judicia, quae rem acu tangunt, rarius inveniuntur. Tanto opinor majoris aestumanda, si qua inveniuntur.

1) Ego saltem nullus memini, me ullum apud Septimium aliosve antiquitatis Christianae auctores legere locum, quo opinio huic contraria attribuatur haeretico.

2) Haec gratia erat (si lubet cum scholasticis aliquibus loqui) gratis dans; *σπέρμα* illud caeleste gratia gratis data (*δωρεά*) sive donum puris naturalibus superadditum.

rum Hebr. „ruach“ 1). (Παράλληλον quodammodo locum in libro Jobi XXVII, 3 reperias). Fieri saltem potest, ut Hebraea vox „nischmath“ συμβολική sit humanae mentis designatio 2). At

---

1) Habet Flavius Josephus lib. I antiquitat. 1 Mosaici loci rationem, nisi quod ad vocem γῆς participium λαβών adjungit, item pro vocabulis ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνεῦμα ζωῆς verba πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ, denique loco particulae ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν simplicem phrasin εἰς ζωὴν ponit. Neque abhorret a verisimilitudine, naturam humanam etiam ab Hebraeo illo historico esse in partes tres divisam. — Liceat memorabilem explanationem versiculi Mosaici, cujus Hammondus auctor est, allegare:„ Primum memoratur „„aphar min haadamah““ pulvis e terra, ex quo conflata est conspicua haec massa carnis et membrorum sive corpus, secundo „„nephesch chajjah““ anima vivens, animalis vel sensitiva facultas, quae communis est homini cum brutis —; tertio memoratur „nischmath chajjim“ respiratio vitae, quae est anima rationalis sive mens, quae divino Numine collustratur“. Addit Hammondus, mentem a Deo in hominem primum insufflatam, eandemque in ejus manus reversuram, quum sit immortalis. Lege Novum Testament. Hammondi et Clerici tom. II, pag. 536. Quodetiamsi videntur effato theologi Britannici nonnulla intermista, quae in verbis, de quibus agitur, Hebraicis proprie non insunt (compara annotationem Clerici et recensionem pag. 365 exstantem,) continet tamen effatum multum veri: id quod, ubicunque reperiatur, magni faciendum.

2) Inservit indoli Hermogenis accuratius cognoscendae, quod ne ab allegorico quidem utriusque Instrumenti

salvum sit rectius judicium! Non opinor, me falli non posse.

---

§ XII.

Exponuntur sensa Hermogenis super origine mali ex materia. Accedit sententiae ἐπίκρισις.

„Welche Frage hat den Weltweisen mehr zu schaffen gemacht, als der Ursprung des Bösen oder die Zulassung desselben"? HAMANNUS.

„Interdum latet in occulto verum".

Crediderim, visum esse Hermogeni, sese magni

---

interpretatione videtur fuisse alienissimus, (*τὴν ἀλληγορίαν* ego pariter atque Suidas intelligo *τὴν μεταφορὰν, ἄλλο λέγον τὸ γράμμα καὶ ἄλλο τὸ νόημα.*) Septimius utique, posteaquam cap. XXXIV advers. Hermg. complures locos sacri codicis protulit, veluti XXXIV Jesaj. 4, (quocum cf VI Joann. apocalyps. 14) XXIV Matth. 35; CII Ps. 27; XXIV Matth. 29, in quibus hujus mundi res mutandae aliquando et perituræ feruntur, subjungit: „quae omnia etsi alter (i. e. pictor noster) putaverit spiritualiter interpretanda", reliq. Hoc spiritualiter interpretari nullo, uti arbitror, modo complectitur id, quod in effato aliquo Joannis Gebhardi, pii olim et eruditi theologi Jenensis, inest: „*Spiritus sancti collustratio* necessaria est ad totam scripturam et quamlibet ejus partem salutariter cognoscendam et interpretandam, unde ad collustrationem illam divini luminis impetrandam quibusvis litterarum sacrarum lectoribus et interpretibus preces sunt necessariae"?

aliquid assequntum, dum hanc sententiam amplexaretur: Esse quasdam in materia incomposita partes, quae neque ullo divinae compositionis desiderio ferrentur, neque supremo Numini, compositionis gratia ad se accedenti, semet subjicerent; inspice cap. XL advers. Hermg. Et in hac quidem agendi ratione partium incompositarum originem mali mundani sitam esse, decrevit 1), cf. cap. XXV, item XXXVIII adv. Hermg. Proposuit haec pictor Africanus, ut malum materiae ipsius esset (i. e. ut soli tribueretur materiae 2), de cujus substantia esset factum, quomodo cap. XV scriptionis modo laudat. deprehenditur. At dum omnibus viribus impedire

---

quippe si τὸ spiritualiter interpretari eo pacto acciperes, nonne Tertullianus (perpetuus Hermogenis adversarius) laudasset Hermogenem? — Quin potius phrasis dubio procul est: allegorice, figurate, (mystice) exponere, id quod emergit ex iis quoque, quae citato a nobis Tertulliani loco consequuntur. Haec sacrae scripturae exponendae ratio hominis haud scio an indicio sit, fuisse eum ab imaginandi vi (qua Gnostici theosophi adeo eminebant,) nequaquam penitus destitutum.

Malum necesse erat modo aliquo exsisteret, qui esset ei contrarius, quo bona rerum universitatis initium ceperunt. Caeterum Hermogenes incertum est an suffragaturus fuisset Blaschio, quum is docet: „Die im Ird (Mineral) erstarrten Elemente sind das letzte Glied in der absteigenden Offenbarung, und das erste in der aufsteigenden". Haec autem in certam quandam philosophiam Graecorum bene caderent.

2) Non eadem fuit Florianorum — ortum a Floriano

studet, „ne Dei fieret“, 1) neve ejus bonitas violaretur, (cf. pag. 22. huj. scripti) equidem nescio an altera ex parte in vitium vehementer perniciosum inciderit, aliud videlicet attributum divinum, neque id minoris, quam bonitas est, momenti, nimium quantum coarctando. Etenim si voluit, supremo Numini ad mundum conficiendum aliqua materia opus esse, eandemque (κατὰ) μέρος τι, ut loquutione Paulina XI Corinth. 11; 18 utar, tantam Numini ἀντίθεσιν praestare, ut id materiam cunctam edomare nequaquam posset (inspiciatur cap. XXXVII advers. Hermg.), nonne omnipotentiam Numinis ter optimi (qua quaecunque: „constituerit, sua vi, *nulla re impeditum*, facere et facere posse intelligitur“, 2) angustioribus

---

repetunt — ratio, utpote qui (narrante Augustino in libr. de haeresibus) contendere non erubescerent: „Deum creasse mala, contra id, quod scriptum est: „„fecit Deus omnia et ecce bona valde““.

1) Moshemius Platonem facit de ratione, qua materia ad Deum opificem sese habuit, in hunc modum sentientem: „Eundem satis notum est tradidisse, malitiam et pertinaciam materiae obstitisse voluntati supremi Numinis, ne talem faceret ex ea mundum, qualem voluisset, mali omnis et vitii expertem“. Adi sis § XVIII dissertationis de creatione ex nihilo. Quae quam quaeso similia sunt ei, quod pertractamus, Hermogenis placito! Isque tametsi aeque ac Plato κατὰ ῥητὸν declaravit nullus, κόσμον esse ζῶόν τι ἔμψυχον, materiae tamen aliquid vitae ἀνάλογον (motum dico,) adscripsit, exque hac ipsa materia de haeretici sententia *mundus* est ortus.

2) De consilio sumpta est illa perquam apposita divinae

finibus circumscripsit 1)? Quo majorem in genere isto vim materiae insitam esse voluit, eo, nisi omnia me fallunt, minor divini Numinis potestas perhibenda erat. Hac igitur ratione amisit haereticus notionem veri Dei, veramve notionem Dei 2), quam

---

omnipotentiae definitio e commentariis historicis decretor. religionis Christianae et formulae Lutheriae, quos scripsit Christ. Dan. Beckius, prof. Lips., edit. Lips. 1801; evolve pag. 219. E locis biblicis, quos eruditus auctor adduxit, conf. praecipue CXXXV Pslm. 6, I Ephes. 11, ut qui vel maxime heic quadrent. Probabiliter observavit idem: „ipsam Dei summam vim et operationem, numquam illam cessantem, cum ratione et voluntate ejus arctissime copulatam esse". Quippe cuncta Dei attributa si disjuncta essent, num vera veri Dei idea permaneret?

1) Quid? quod vel Augustinus hominum quorumdam mentionem injecit, qui sane non dicere ausi sunt (nimirum, quomodo superioribus aperitur): „Deum Patrem non esse omnipotentem", sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincerentur. Lege cap. II libri „de fide et symbolo".

2) Verissime contendit Augustinus, in quo ἡ γνῶσις (i. e. intellectualis, quam vocant, ac profunda Christianae religionis cognitio,) et ἡ σοφία (sapientia, quam dicunt practicam,) egregie conjunctae: „optime de Deo existimare verissimum est pietatis exordium. Nec quisquam de illo optime existimat, qui non eum omnipotentem atque ex nulla particula commutabilem credit, bonorum etiam omnium creatorem, quibus est ipse praestantior, rectorem quoque justissimum eorum omnium, quae creavit, nec ulla adjutum esse materia in creando". Adi sodes scriptionis de libero arbitrio

ubi locum de creatione universi tractes, unica mundi ex nihilo creatione affirmata retineas. Amisit autem, ceu mihi saltem persuasissimum est, invitus adeoque imprudens et inscius, quandoquidem, quae in Deum cadunt attributa, integra ei esse cupivit. 1) Occursant profecto apud Septimium bene multa, nec vero contemnenda illa, quibus illam, quam haereticus de origine mali proposuit 2), ὑπόθεσιν evertit feliciter; at hoc quidem loco praetereunda mihi viden-

---

lib. I, cap. 2. Idem ecclesiae doctor probe perspexit, omnipotentis voluntatem semper *invictam* esse.

1) Sic Tertullianus cap. XLII advers. Hermg. pictorem affatur his: „non vis videri Deum aequare materiae": vox in ore adversarii haud dubie vera, nihiloque tamen minus Hermogenes placitis sibi propriis effecit, ut (liceat dogmaticam phrasin usurpare!) independentiae *species* in materia sibi probata resideret. Cf. pag. 35, not. 2, item pag. 36 huj. libri. Contra praeclare Schleiermacherus pag. 207, tom. I operis: „der christliche Glaube nach den Grundsätzen der evangelischen Kirche" caet. super mundo certe, magnam partem ex materia constante: „Unserm allgemeinen Abhängigkeits-Gefühl von Gott widerspricht jede Lösung der Frage nach dem Entstehen der Welt, durch welche deren gänzliche Abhängigkeit von Gott gefährdet wird, und eben so jede, durch welche die Unabhängigkeit Gottes von allen erst in der Welt und durch die Welt entstandenen Bestimmungen und Gegensätzen gefährdet wird".

2) Poterat Hermogenes mea opinione admittere, quod ait Origenes libr. III περὶ ἀρχῶν, cap. 2: „malum non per Deum fieri, verum non sine Deo" (i. e. admittente Deo).

tur esse, non quia a Septimio fluxerunt, sed propterea quod ab aliis viris doctis aevi recentioris in historicis operibus iisdemque ecclesiasticis satis, quod sciam, superque sunt delineata 1). Unde illorum commemoratio εἰς τὸ δέον (quo Pericles usus est proverbio,) haud pertinet. E contrario haec adhuc observare juvat:

Si hominem haereticum non possumus non in eo perstringere, quod (ad instar haud paucorum haereticorum, ut Gnosticorum,) inconsideratae rationis conatus injecto freno parum constrinxit, itaque absona, veluti de perennitate materiae, de mundi malique ex materia sempiterna primordiis, alia effutivit, quae procul dubio extimescendum erat, ne perversam vim in vitam pure sancteque transigendam exsererent — quippe prudenter judicavit clar. Immanuel Kantius, morum puritatem ac religionis in justa super initiis mundi sententia inniti, 2) — non deficit

1) Inspice, ut nonnulla utique exempla habeas, Natalis Alexandri historiam ecclesiasticam Veteris Novique Testamenti relq., tom. III pag. 569, 570; Schroeckhii „Christl. Kirchengesch." tom. III, pag. 402. — Caeterum non absolute verum, quod Fridericus Richterus, qui idem Joannes Paulus a semetipso nominatur, pronuntiasse fertur: „Ein System ist nicht sowohl durch Angriffe umzuwerfen, als nur durch ein neues, das sich kühn daneben stellt". Quot ecclesiae doctores, quibus cum haeresibus depugnandum erat, συστήματα eorum prospere sic aggressi sunt et everterunt, ut argumenta adhiberent, ex religione Christiana, quae respectu quodam una omnium antiquissima est, deprompta.

2) In manibus est lectio immortalis Abr. Kaestneri, quae

tamen, in quo haereticus meritis laudibus evehatur. Contenderit sane, fieri non potuisse, quin malum ex inimico materiae ad Deum habitu processerit, sed hoc ipsum negavit tanquam boni interpretamentum (vocem debeo Lactantio,) exsitere oportuisse, i. e. tanquam id, per quod demum bonum ut bonum aguoscatur 1). Compara XV cap. advs. Hermg.

---

an. 1770 Gottingae publici juris facta, hoc modo inscribitur: „Ueber die Lehre von der Schöpfung aus Nichts, und derselben practische Wichtigkeit". Quam quidam oportet et Knappius odoratus sit, utpote qui tom. I. lectionum dogmaticar. pag. 268 haud perverse declaret: „Nur diese Ueberzeugung (intellige: von der Schöpfung aus Nichts,) erweckt bei uns anständige und Gottes würdige Begriffe von der Vorsehung, und lehrt uns, daß der Weltschöpfer nicht nur das Ganze kennt, und dafür sorgt, sondern daß sich seine Kenntniß und Vorsorge auf jeden einzelnen noch so kleinen Theil des Welt-Alls erstrecken muß. Daher sagten die Scholastiker ganz recht: Die Erhaltung der Welt sey eine fortgesetzte Schöpfung". Insuper Hahnius pag. 271 „des Lehrbuches" caet. si non ita multis, at eximiis tamen verbis ostendit, quanti momenti sit ea, qua de agitur, doctrina.

1) Cum pictore Africano parum convenit Blasehio, qui haec et talia literis consignavit: „Wenn wir das Gute nicht unterscheiden, so haben wir keinen Verstand, kein Bewußtseyn davon (???), und wovon sollen wir es unterscheiden, wenn nicht — von dem Bösen". Quin Caelius Firmianus Lactantius, ecclesiae pater, qui non secundo, verum quarto demum vixit saeculo, vel eo (quod mireris!) profectus est, ut pessime opinaretur, ita demum esse virtutem, si malum sit; quippe valde famoso, qui libr. I institut. divinar. cap. 8 obvius fit,

Haereticum quis infitias eat, in hoc quidem genere

---

loco ait: „Facturus (subaudiatur Deus,) hominem, cui virtutem ad vivendum proponeret, per quam immortalitatem (i. e. apud Lactantium τὸ biblicum ζωὴν αἰώνιον,) assequerétur, bonum et malum fecit (!!!), ut posset esse virtus, quae nisi malis agitetur, aut vim suam perdet (???), aut omnino non erit. Nam ut opulentia bonum videatur, acerbitas egestatis facit, et gratiam lucis commendat obcuritas tenebrarùm. Valetudinis et sanitatis voluptas ex morbo ac dolore cognoscitur. Ita bonum sine malo esse non potest. Et utrumque licet contrarium sit, tamen ita cohaeret, ut alterum si tollas, utrumque sustuleris (?!); nam neque bonum comprehendi potest sine declinatione ac fuga mali, nec malum caveri ac vinci sine auxilio comprehensi boni". Secundum hanc θεωρίαν perversam Deus sine Satana esse non posset! Quanta βλασφημία! Profecto docet Cellarius, Lactantiana haecce et quae sequantur, cum caeteris Lactantii non convenire; at geographus eruditissimus et clarissimus, quantum hac in re erret, documento sunt liber patris ecclesiastici „de ira" cap. 13, et libr. V institution. divinar. cap. 7, al. Pergit Cellarius: „Absunt haec a plurimis — — codicibus Vaticanis, Anglis, Lipsiensibus, etiam antiqua editione impressîs libris". Quid vero? si per ὀρθόδοξόν τινα deleta sunt, cui curae nimirum et cordi esset, ut Firmianus cum doctrina de malo recta, quae ecclesiae catholicae probata erat, penitus conspiraret. Itaque argumenta Cellarii tanti neutiquam sunt momenti, ut eidem assentiendum sit, commate, de quo sermo est, ecclesiae doctorem privanti, vel ut comma non in ipso textu Lactantii, sed in nota cum Buenemanno ponendum sit. In loco de mali ad bonum ratione Hermogenes Lactantio major nobis quidem videtur esse.

auctoribus sacris prorsus congruenter sensisse 1)? ut haec quoque sententia pro argumento esse debeat, contineri in haereticis Christianis non absolutos semper errores, sed eum vestigiis veritatis commistos illos. Quamquam nimium videtur contendisse Ernestus Theodorus Meyerhoffius, quum in scripto alioquin praeclaro: „Johann Reuchlin und seine Zeit" pag. 126 hanc vocem mittit: „Daß in den Büchern der sogenannten Ketzer oft mehr (subaudiatur: Wahrheit enthalten war, uti est in superioribus,) als in den sogenannten Orthodoxen". Ubi probatio? — Cui autem persuasum est, haereticorum errores adhaerere vero, is, historiam ecclesiae Christianae tractans, non potest non in haereticos mitem atque humanum se concinnare, praesertim quum homines sint vehementer miserandi.

---

§ XIII.

De Christo Jesu quid statuerit Hermogenes, quaestio est.

„Christus Christianae theologiae centrum".

Hussus.

Quam quaeso jucundum foret, si in comperto esset, utrum, et quid pictor Africanus de creatu-

---

1) Si Origeni (cf. libr. VI περὶ ἀρχῶν cap. 54, 55) visum est, „adhibere Deum physica mala ad malos homines emendandos, quorum sapiens videlicet educator sit",

ris 1) a quocunque per Christum malo liberandis judicaverit! Verum enimvero in monumentis, quae supersunt, antiquitatis ecclesiasticae, nullae memorantur sententiae, quas Hermogenes de hoc ipso, quod Christus perfecit, salutari opere sive „redemptorio“ — constat quippe in ἀπολυτρώσει per mortem Christi cruentam consummata I Ephs. 7 — foverit. At in se parum verisimile, hominem Christianum plane nullam, ceu dogmatici loquuntur, Christologiam tenuisse. Adde quod apud Philastrium haec et talia leguntur 2): „Sabellius post istum (id est Noetum) de Lybia, discipulus ejus, similitudinem sui doctoris itidem sequutus est, unde (i. e. a Sabellio) et Sabelliani postea sunt appellati, qui et Praxeani a Praxea, et Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui et ita sentientes

ne Origenes quidem scripturae Sacrae refragatur, quippe plus vice simplici serio declaranti, Christianis esse per calamitates in beatum Messiae regnum ingrediundum. Obtinet vetus aliquod nec falsum Germanorum proverbium: „Noth lehrt beten“.

1) Hermogenes non solum visibiles, sed invisibiles etiam creaturas posuit, docens πνεύματα ἀκάθαρτα (vox a Phavorino explicatur verbo ἁμαρτητικά) sensu particulae haud dubie biblico (cf. I Apocal. 2; VII Act. 7; V, 6; IX evangel. Luc. 42; I Marc. 16; X Matth. 1, al.) exstitisse, id quod concludendum ex libr. I fabular. Theodoreti haereticar. cap. de Hermogene.

2) Inspice cap. LIV, pag. 59 in collectione veterum patrum Brixianae ecclesiae, in ipsa urbe Brixia foras data.

abjecti sunt ab ecclesia catholica". Jam vero commemoravit Philastrius 1) cap. LXII hunc errorem Noeti: „Patrem omnipotentem esse ipsum Christum, et ipsum natum, et ipsum passum, et ipsum mortuum fuisse in corpore". Ex quo patet, Patripassianismum, quem vocant, (Philastrio quidem judice) fuisse Sabellio Sabellianisque et Praxeanis et Hermogenianis probatum. Quae quin vera sit Philastrii opinio, tanto minus dubitandum, quanto cap. LIV ait apertius: „Sabelliani — qui et Patripassiani" 2). Moshemius quidem meus opinatus est, „daß nach Tertullian's Zeugniß Hermogenes in der Lehre von Christo rechtgläubig gewesen". At vero equidem locum aliquem in operibus Tertulliani desidero, quo ecclesiae doctor tale quid testetur. Immo falsam esse

---

1) Augustinus cap. XLI sui de haeresibus libri descripsit totum propemodum caput CIV scriptionis ejus, quam Philastrius de haeresibus exaravit, illud dico caput, quod inscribitur: „Sabellius". Item de Philastrio acute monuit: „certe iste eosdem postea Sabellianos dixit appellatas, qui ea, quae Noetus, sentiebant, et alia nomina ejusdem sectae commemoravit. Et tamen Noetianos et Sabellianos sub duobus numeris tanquam duas haereses posuit. Qua caussa, ipse viderit"!

2) Laudat Augustinus quidem loc. cit. hoc effatum Epiphanii: „Sabelliani similia Noeto dogmatizantes, praeter *hoc, quod dicunt Patrem non esse passum*". Sed subjungit episcopus Hipponis Regii effato: „Quomodo de Sabellianis intelligi potest, quum sic innotuerint dicere Patrem passum, ut Patripassiani quam Sabelliani crebrius nuncuparentur". — Cum iis bene con-

Moshemii opinionem 1), declaratur (ni fallor) illis, quae jam semel (pag. 4 hujus libri, not. 1) laudavi, Tertulliani verbis: „*Christum* Dominum — *videtur aliter cognoscere*; alium facit, quem aliter cognoscit“. Ad summum hoc concedere licet, Tertullianum Patripassianismi, quem Hermogeniani eorundemque magister (contra Scripturam sacram) professi sint, mentionem non facere 2), neque hujuscemodi errorem convincere. Quod ne cuipiam mirandum veniat, hoc pervelim teneatur: videtur presbyter Africanus propositum sibi habuisse, principale, quod pictor noster amplexatus erat, decretum super mundo ex materia sempiterna condito, quaeque cum decreto quam arctissime sunt connexa, fusius proferre atque

---

spirant, quae de Sabellio scripta exstant, prius apud Pseudo-Gregorium Thaumaturgum; „Sabellium fugimus, qui dicit eundem esse Patrem et Filium“. Deinde apud Basilium: „*τὸν αὐτὸν Θεὸν ἕνα τῷ ὑποκειμένῳ ὄντα πρὸς τὰς ἑκάστοτε παραπιπτούσας χρείας μεταμορφούμενον, νῦν μὲν ὡς Πατέρα, νῦν δὲ ὡς Υἱὸν, νῦν δὲ ὡς Πνεῦμα ἅγιον διαλέγεσθαι*“. Evolvas patris ecclestiast. epist. CCX.

1) Invenitur opinio pag. 434 commentarior. de rebus Christian. caet.; quas ut ipse nunc inspicerem, quum mihi (proh dolor!) haud contigisset, necessarium fuit, ut opinionem ex parta prima pag. 583: „des Entwurfs einer vollständigen Historie der Ketzereien“ caet., quem diligentissimo Walchio debemus, adducerem.

2) Dicitur idem in nota aliqua ad librum Philastrii supra excitatum. Notae, quae in collectione veter. patr. Brixianor. Philastrio adjectae sunt, ab eruditissimo Jo. Albert. Fabricio profectae.

refutare studiosius. Hermogenis Patripassianismum tanto, ut opinor, facilius omittere poterat, quia Praxeae Patripassiano singularem opposuit scriptionem 1). Quid? quod ne Theodoretus quidem, episcopus et pietate et doctrina praecellens, etiamsi propositum Tertulliani haud fecerat suum, Patripassianismi, in quo Hermogenes acquievit, mentionem injecit ullam, dum alia errata hominis affert (cfr. loc. cit.) Non est ergo, quod prorsus rejicias ea, quae Philastrius et Augustinus super Patripassianismo Hermogenis tradiderunt, praesertim quum perspicue demonstrari nequeat, doctrinam de Deo Patre miserias in cruce passo ac placitum de rerum universitate ex materia sempiterna formata tantopere sibi invicem repugnare, ut, si quis placitum approbaverit, doctrinae suffragari non sustineat. Sed ecce prodit Walchius, atque, nisi respuantur cuncta, quae apud Philastrium de Sabellianismo Hermogenis deprehendantur 2), crediturus est, veterem episcopum Brixiae alium significare Hermogenem, vide: „Entwurf einer Ketzerhistorie" loc. cit. Nolumus nos negare, nomen Hermogenis inter homines

---

1) Invenitur apud Augustinum eo, quem jam allegavimus, loco: „Sabelliani — sunt in ore multorum. — — — *Praxeas* et *Hermogenes eadem sentientes in Africa* fuisse dicuntur".

2) Tillemontius etiam, vir diligentissimus (quocum de Reichlin Meldegg Gieselerum Dr. non inscite comparavit), tom. VIII des memoires caet. pag. 112 de Philastrio et Augustino: „Ils ne marquent point, inquit, si cet

priorum temporum et paganos et Christianos fuisse frequentissimum. Viri, quibus id nomen impositum, memorantur apud Ciceronem lib. XII epistolar. ad Attic. 23, 31; Horatium libr. I sermon. 3, v. 129; 9 v. 23; Suetonium cap. X vitae Domitiani, utque ad Christianos auctores me conferam, in actis Theclae 1), in vita Isidori Pelusiotae 2), alibi 3). Sed tamen eo minus cum Walchio in hoc genere sentiendum, quo infirmior est ista Moshemii, in qua tanquam fundamento nititur, opinio, quoque disertioribus verbis Hermogeniani in Africa fuisse a Philastrio perhibentur, i. e. in terra, quam credibile est Hermogeni habitatam, cf. pag. 6 nostrae scriptionis. Jam ad aliud de Christo commentum, quod pictori arrisit, convertat sese oratio!

Aetatem tulit libellus, quamquam non integer, qui inscribitur: „ἐκ τῶν Θεοδότου (an Gnostici? —) καὶ τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας 4) κατὰ

Hermogene est celui, dont parle Tertullien". Vere! At patres me judice propterea forsitan non annotaverunt, quia sunt arbitrati, hoc, dum de Hermogene verba facerent, per se et ex se intellectum iri.

1) Videlicet apud celebr. Grabium in spicilegio patrum tom. I, pag. 95 sqq.

2) Ab Agathone Niemeyero non ita multum ante tempus enarrata.

3) Praetereo II Timoth. 1, 15, utpote qui locus pag. 9, not. 2 copiosius memoratus sit.

4) An Gnosticae? — certe haec nomine „philosophiae orien-

τοὺς Θὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαὶ". Cum libello qui Clementi, Alexandrinae ecclesiae doctori, a non nemine attribuitur, conjunguntur veluti in editione a Friderico Sylburgio parata „αἱ ἐκ τῶν προφητικῶν ἐκλογαὶ" 1), in quibus fere finem versus talia inveniuntur: „„ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ"". ἔνιοι μὲν οὖν φασὶ, τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἐν τῷ ἡλίῳ αὐτὸν ἀποτίθεσθαι, ὡς Ἑρμογένης· σῶμα δὲ λέγουσιν οἱ τὸ σκῆνος αὐτοῦ, οἱ δὲ τὴν τῶν πιστῶν ἐκκλησίαν". Vocabula ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ non ita bene respondent verbis, quae in XIX Psalm. offendas, Hebraeis: „laschschemesch sam ohel bahem", quae in hunc potius sermonem Graecum transferenda erant: τῷ ἡλίῳ (non „τοῦ ἡλίου", quemadmodum falso exstat in quadam ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων γλώττης εἰς τὴν τῶν Σύρων γλῶτταν μεταγωγῇ 2)

---

talis" recentioribus imprimis temporibus saepenumero affecta est.

1) Voces nescio an denoterit: „ex interpretationibus locorum propheticorum (vocula est Prudentii VII cathemer. 179) electa". Plinius, Macro suo scripta avunculi eruditi lib. III. ep. 5 recensens: „Electorum, inquit, commentarios sexaginta mihi reliquit".

2) Mentio versionis hujusce habetur in libro, cui nomen: „ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους περὶ τινῶν ἀναγκαίων ζητημάτων", et responsione quidem LXIII. Assignatur liber etiam in Coloniensi operum Justini Martyris editione Justino; at non ita recte, quomodo hodieque saltem inter paene cunctos homines doctos satis constat.

ἔθετο (subintelligatur ὁ Θεὸς,) σκήνωμα ἐν αὐτοῖς (id est οὐρανοῖς, quos in versic. 2 commemoratos animadvertas 1). Walchius est is, qui pag. 583 operis saepius allati respectu ejus quoque, quod ex verbis „ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα αὐτοῦ“ derivatum est, placiti, „daß nemlich, uti ait, Jesus bei seiner Himmelfahrt seinen Körper in der Sonne abgeleget“ 2) profiteatur: „Manche Irrthümer (scil. tales, qui in scri-

---

Namque vel id, quod in respons. LXXXVI et LXXXII Origenes, saeculi tertii interpres, introducitur, editori Coloniensi librum facere debuit „falsitatis (νοθεύσεως) suspectum“.

1) Videsis etiam de Wettii commentar. „Ueber die Psalmen“, pag. 223, edit. I.

2) Quid vero? si particula Clementina „τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου“ pariter atque in monumentis Pauli apostoli sexcenties (cf. V Ephes. 23; IV, 16) sumenda est spiritualiter? (vox Septimio propria). Paulus I Coloss. 24 ait: „τοῦ σώματος αὐτοῦ (i. e. Christi), ὅ ἐστιν ἡ ἐκκλησία“, cf. v. 18, ubi Christus corporis hujusce caput nominatur. Quid? si dicturus est Hermogenes: Christum Christianorum coetum in solem, i. e. in statum, qui terrena vulgarium hominum condicione sublimior et excellentior sit, transtulisse. Sed haec tamen Clementinorum explanatio, timeo, ut tam simplex sit, quam expositio Walchii, in qua de proprio corpore Christi cogitandum. Insuper facit pro enarratione posteriore id, quod legitur in patrum ecclesiasticor. catena in Pslm. XVIII: „οὐ προσεκτέον τοῖς τῶν αἱρετικῶν φληνάφοις, οἵ φασιν· μετὰ τὴν ἀνάστασιν ὁ Σωτὴρ ἐν τῇ ἡλιακῇ σφαίρᾳ ἀπέθετο ὃ ἐφόρησε σῶμα, φυλάττεσθαι μέχρι τῆς δευτέρας παρουσίας“ (apud Paulum ἐπιφανείας).

ptis presbyteri Africani non enumerantur,) werden zwar dem Hermogeni zur Last gelegt; man hat aber Ursach, an der Richtigkeit dieser Beschuldigungen zu zweifeln" 1). Caussas istas, quas velim apud ipsum theologum Gottingensem inspicias, nullius plane esse momenti, patebit ex iis, quae argumentis, quorum ope Moshemius aliique priorem sententiam Χριστολογικὴν Hermogeni abjudicatum iverunt, supra opposuimus, quaeque hic repetere nimis longum est. Dandum fateor, placitum pictori nostro a Clemente tributum, cum iis hominis decretis, in quae apud Septimium incidas, haud *arctissime* cohaerere; verum potuitne quaeso fieri, ut tanto melius esset cum illis potissimum decretis connexum, quae haereticus in doctrina de Christo Jesu sibi finxerat 2),

---

1) Dudum neque immerito explosa est opinio Combefisii, cui editionem τῶν ἐκλογῶν nobis laudatarum acceptam referas: patrem Alexandrinum vituperare istum Hermogenem, cujus in altera epistola pastorali injiciatur mentio; lege appendicem dissertationis de haeresiarchis aevi apostolici et apostolico proximi, auctore Thoma Ittigio pag. 94 parat. Hinc opinioni prolixius refellendae non jam immorabimur.

2) Reperiuntur in oraculis Sybillinis hi quoque versiculi:

„Καὶ τοτ' ἀπ' ἠελίοιο Θεὸς πέμψει βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο".

Argumentum versiculorum Hermogenes haud scio an cum sententiis de Christo suis conciliare potueris, modo τὸν βασιλῆα Christum intelligeret.

quorumque notitia accuratior injuria temporis nos deficit? — Fuit noster vir imprimis expolitae mentis; sed tales quidem ab opinionibus, secundum quas intelligentibus hujus telluris incolis interior aliqua ratio cum sideribus intercedit 1), alienos non esse, testis est historia. Equidem novi mathematicum, cui persuasissimum est, animas humanas, posteaquam per corporis mortem e terra discesserint, singula astra visuras, ac tum demum, ubi, quaecunque in astris cognitione digna sint, cognoverint, ad intimam cum supremo Deo communionem perventuras. In quo convenit mathematico cum Origene ingeniosissimo. — Tillemontius denique pag. 111 tom. III memoriarum caet. haereticam, qua de agitur, sententiam non dubitat appellare ridiculam; at vero complures opiniones ridiculas esse a pictore nostro, licet ingenii subtilioris esset, propositas, affatim opinor planum facient ea, quae in paragraphis disputavimus superioribus. Quamobrem non est, si quid ego video, cur offendat quempiam, posteriorem de corpore Christi sententiam in ore Hermogenis deprehendi.

Exstiterunt recentiore tempore theologi quidam dogmatici, qui cum χριστολογίᾳ, uti ajunt, sive

---

1) Qui Manichaei systema penitius callet, eum non latet, τὸν υἱὸν ἀνθρώπου ἀπαθῆ (impatibilem hominis filium) de sententia Manichaei in sole esse versatum, priusquam hanc ad terram, cujus ratione instructos incolas a tenebris moralibus vindicaturus esset, sese conferret.

σωτηρολογίᾳ ἐσχατολογίαν existimarent sibi conjungendam. Dolendum, quod ea, quae de opinionibus, Hermogeni quoad novissimas res probatis, comperta nobis sunt, non minus apparent manca, quam quae de placitis, Hermogeni super Christo arridentibus, nobis innotuerunt. Nihilo tamen secius, ut ne quippiam negligentius praetermittamus, proponere juvat

§ XIV.

Pictoris de rebus quibusdam novissimis opiniones.

„Πῶς (quemadmodum ait Polybius,) οἷόν τε, παραλόγοις ἀρχαῖς εὔλογον ἐπιθεῖναι τέλος“;

Videtur Hermogenes memorabili huic sententiae addictus fuisse, impuros mundi superioris spiritus (geniosve) ad integritatem animi ac sanctitatem non conversum iri 1). Quae enim alia potuit esse caussa, quare crederet haereticus, spiritus istos mente,

1) Est apud Sulpitium Severum, cap. 24 vitae venerabilis Martini Turonensis, ubi haec ejus ad Satanam referantur verba: „Si tu ipse, o miserabilis! ab hominum insectatione desisteres, et te factorum tuorum vel hoc tempore, quum dies judicii in proximo est, poeniteret, ego tibi, vere confisus in Domino Christo, misericordiam pollicerer“. Elucet, ut arbitror, ex verbis hisce, Satanam Martini quidem judicio internae ad sanctissimum Deum conversioni adhuc habilem esse, in qua sententia item auctor στρωμάτ. libr. I pag. 367,

voluntate, vita aliquando iri privatum, sive, quomodo apud vetustissimum episcopum Cyrensem pag. 374 tom. II opp., Coloniae Agrippin. edit., invenitur: „esse in materiam refundendos". Et permulti quidem praeceptores ejus, quae rectam fidem professa est, ecclesiae Satanam, licet non penitus exstinctum iri vellent, tamen magnis aliquando poenis obnoxium fore, persuasum habebant.

Contendit Walchius loco aliquoties excitato: „daß er (cogites de Hermogene,) den Menschenseelen eben dieses Schicksal (subaudiatur: in die erste Materie aufgelöset zu werden,) bestimmet, ist nicht zu beweisen". Nobis contra videtur. Sane equidem probaturus, (malas) hominum animas (ψυχὰς) judice pictore nostro mortales esse 1), caput XII Septimianae de anima scriptionis nihil citaverim, id quod celeber quidam theologus fecit, quandoquidem ex hoc loco, quod volo, parum emergit. At vero cap. XXII allegaverim, ubi nimirum Septimius, repugnans haeretico: „Definimus, inquit, animam — — immortalem". In hoc nexu capitis πολεμικῷ, numne sic definivisset animam prudens pater ecclesiasticus, si

368 conquiescit. Quid? quod in orat. 26 catechetic. egregii Gregorii Nysseni aperitur, Satanam moralium, quibus implicitus sit, malorum sanationem Filio Dei debiturum. Et cum sanatione nonne felicitas sempiterna conjuncta est? Adeo recedunt ab Hermogene illi ecclesiae doctores!

1) De Rauscherus pag. 370 tom. I historiae supra laudat. hoc utique memorat: animas de sententia pictoris ἀναλύσεως capaces esse.

haereticus eadem prorsus ratione definivisset? — Cave autem cogites, esse hoc loco sermonem de semine (seu scintilla) illa caelesti, cujus extremo § quodam superiore mentionem fecimus, utpote in quod, si Hermogenem audias, propter haud materialem originem ejus illud exitium cadere nequeat 1), quo (haeretici judicio depravata) anima humana aliquando afficietur.

---

§ XV.

Quomodo placita propagaverit Hermogenes, item an late admodum propagaverit, quaestio est.

„Καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει".
Paulus Apostolus, II Timth. 2, 17 2).

Haud paucis ecclesiae antiquae haereticis de

---

1) Retento hoc semine licuit haeretico cum Cleanthe Stoico et hymnologo, item Arato v. 5. phaenomen., exclamare: „Θεοῦ γένος ἐσμέν". Contendit in libro, qui inscribitur: „Philosophie der Offenbarung" caet. Blaschius simillime: „Soll von einer göttlichen Offenbarung an den Menschen, wie man zu sagen pflegt, eigentlich aber im Menschen (egomet nullus video, quidni utrumque dici queat, quum ex historiae testimonio verum sit utrumque,) so muß er selbst göttlichen Geschlechts seyn". Profecto eo nisi esset, revelatio (ἀποκάλυψις) divini per se quidem esse posset, hominum autem esse respectu, iisdemque reapse prodesse non posset. Noli vero negligere, idem Novum Instrumentum, quo θεία φύσις hominibus assignetur, eos etiam sexcenties repraesentare peccatores. Τὸ θεῖον, nobis insitum, peccatis est obscuratum.

2) Locus, quodammodo παράλληλος a Maximo Tyrio ex-

more fuit, animi quaedam monumenta perficere, quibus quicquid opinionum perversarum de divina religione Jesu Christi excogitarant, in magno Christianorum orbe disseminarent. Ad Hermogenem quod attinet, ego non diffiteor, potuisse Tertullianum commenta, quae pictor de materiae perennitate, — aeternitatem contendit Youngius ingeniose cum oceano ripis carente, — deque originibus rerum aliisque locis fidei Christianae fovebat, variis cognoscere rationibus 1): veluti ex sermonibus eorum, qui Hermogenem audierant loquentem (id quod ex cap. XXXVIII adv. Hermg. clare elucet), quin ex ipsius haeretici sermonibus. Idem ego non refragor Joann. Georg. Walchio, quum docet 2): „nec — libros

---

hibetur: „ὥσπερ τὰ ἑρπυστικὰ τῶν ἑλκῶν τοῖς σώμασιν ἐμπεσόντα πρόσω νέμεται, καὶ τοῦ ὑγιαίνοντός τι ἀεὶ προσαπόλλυσι — — καὶ διαβεβρωμένη καὶ σαθρὰ οὖσα ἡ ψυχὴ ἐπινέμεται πρόσω τε, καὶ πλησίον ἀεὶ καταλαμβάνει“. Hausta sunt vocabula ex dissert. XLI pagin. 406.

1) Arius, notissimus Athanasii magni adversarius, imprimis callidum in hoc genere se praestitit; legitur quippe in histor. Philostorgii ecclesiast. libr. II, 2: „τὸν Ἄρειόν ἀποπηδήσαντα τῆς ἐκκλησίας ᾄσματά τε ναυτικὰ καὶ ἐπιμύλια καὶ ὁδοιπορικὰ γράψαι, καὶ τοιαῦθ᾽ ἕτερα συντιθέντα, εἰς μελῳδίας ἐντεῖναι, ἃς ἐνόμιζεν ἑκάστοις ἁρμόζειν, διὰ τῆς ἐν ταῖς μελῳδίαις ἡδονῆς ἐκκλέπτων πρὸς τὴν οἰκεῖαν ἀσέβειαν τοὺς ἀμαθεστέρους τῶν ἀνθρώπων“.

2) Evolvas pag. 861 operis, multa eruditione theologica referti, quod inscribitur: „Historia ecclesiast. Nov. Testam., variis observationib. illustrata“, Jenae. Quae hic reperiuntur sententiae a Georgii filio, Fran-

(scil. Hermogenis), nec eorum inscriptiones ad nos pervenisse". Quid vero? cap. I libelli, quo Septimius orationis fulmina adversus pictorem vibravit, vocatur is „bis falsarius et cauterio et stylo". De voce cauterii annotatur apud Beatum Rhenanum: „Prodit Irenaeus, morem fuisse Gnosticis, ut discipulos suos cauterio signarent in aure dextra, idque Romae sub Aniceto Marcellinam hujus impietatis alumnam factitasse. An idem obversarit Hermogenes, nescio". Ego vero ad instrumentum, quo possessionis notae servis sectatoribusve inurebantur, verbulum cauterium tanto minus traxerim, quanto aliunde clarius est, haereticum pictoriam artem exercuisse 1). Hinc Tertulliani vocabula hoc potius modo enarraverim; „Hermogenes duplici ratione est falsificus; (si fas est, vocula Plauti, e Mil. 2, 2, 36 desumpta, uti): pictorio videlicet instrumento 2) falsa (numina?) pingit, et calamo falsa, quibus ob-

ciscum dico, sine auctore disertis verbis nominato, receptae sunt in „den Entwurf" caet. tom. I pag. 578.

1) Unde ne putem ego quidem, alludere Tertullianum ad locum a Moreau allegatum: I Timoth. 4, 2, quamquam ibi doctores, qui in ecclesia Ephesina sua sponte prodierant, perversi dicuntur „κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν" i. e. tales, qui „conscientiae labes et vulnera habent in animo", ceu Marc. Tullius libr. III de offic. 21 loquitur.

2) Franciscus Junius, acuta mente praeditus, accuratius definit notionem cauterii, dicendo: „instrumentum, quo fieri encaustum solet a pictoribus et aurificibus, quod genus operis nostrates vocant „„email"".

lectatur, perscribit placita 1). Tertullianus quod argumenta, quibus Hermogenes opiniones stabiliturus erat, ex asseclis haeretici, immo e disputationibus cum haeretico ipso habitis comperit, id, uti arbitror, non excludit, presbyterum Carthaginiensem argumenta e scriptionibus quoque cognovisse. Denique quod eae nobis sunt deperditae, nemini mea certe sententia mirandum veniet, secum scilicet reputanti, plurima haereticorum scripta per Christianos ὀρθοδόξους esse hoc consilio deleta, ne fratribus in fide imbecillioribus (ἀσθενεῖς vocat Paulus,) spiritualia inferrent detrimenta. Altera ex parte non infitiandum, e scriptis haereticorum, si ad nostram usque aetatem conservata essent, obscurioribus systematum eorundem locis multum lucis esse proventurum. Item annon ad depravatam generis humani naturam penitius perspiciendam facerent?

Verum saepius memoranti mihi de sectatoribus Hermogenis, objecerit forsitan quispiam: Quid? scisne, contendisse de Rauscherum 2): „Hermogenes scheint keine, oder doch keine bleibende Secte hinterlassen zu haben", vestigiis videlicet magni cujusdam Theologi insistentem, qui hanc vocem misit: „Es

---

1) Beat. Rhenanus ad vocem cauterio: „haeretici, inquit, — multa delent eraduntque, depravantes sacram Scripturam violentia et coactis interpretationibus". Malim haec ad τὸ stylo (explanandum) translata.

2) Tom. I der „Geschichte der Kirche", pag. 370.

erscheint uns keine Secte der Hermogenianer". Jam profecto stultum tantummodo decet, in verba homunculi, praesertim haeretici, jurare. Egregie ait Clemens Alexandrinus: „μόναι αἱ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν συναναστροφαὶ ὠφελοῦσιν". At videamus curatius, antiquitas Christiana utrum de istiusmodi secta quicquam memoriae prodiderit, nec ne? Legitur cap. XIX adv. Hermg.: „unde (Genesin intellige, quae itidem „„originale instrumentum Moysis"" appellatur,) *diversa pars* suspiciones suas ingratis fulcire conatur". Concedo, mentionem Hermogenis cap. XIIX injectam (dicitur quippe: „materiam Deo praeponit";) quocirca possit particula „pars" ad solum Hermogenem referri, quoad Tertulliano adversatus incassum studuerit, quidquid de rebus Christianae fidei male suspicabatur, e Genesi probare, praesertim quum statim subjungatur: „occasiones sibi *sumpsit* quorumdam verborum — simplicia quaeque torquere". Sed quoniam in consequentibus invenitur: „principium, in quo Deus fecit caelum reliq., — aliquid *volunt* fuisse quasi substantivum", et verbulo „volunt" secundum nexum designantur necessario ejusmodi homines, qui idem cum Hermogene sentiebant, equidem haud scio an superior phrasis· „diversa pars" factionem aliquam Hermogenis revera spectet. Patrocinatur huic interpretationi, quod vocabulum „pars" apud scriptores classicos 1) saepenumero exprimit: factionem. Neque

---

1) Videsis exempli caussa IV libr. Quintilian. 1; Senecam in Medea 199, al.

repugnat illud „sumpsit", quandoquidem numero singulari in loquutione „diversa pars" praemisso, nonnisi singularis „sumpsit" subsequeretur licebat. Ast utrocunque modo loquutionem modo prolatam explanes, reperias cap. XXXVIII advs. Hermg. locum magis perspicuum. Hic videlicet Tertullianus, posteaquam scitum pictoris de infinita materiae natura feliciter oppugnaverat, addit: „si quis discipulorum tuorum voluerit argumentari" caet. Quum igitur lectio „discipulorum tuorum" in suspicionem νοθείας vocari non debeat, oportet hoc inter omnes constet, pictorem discipulos sibi comparasse 1). Porro, si Tertullianus cap. XVI de materia aeterna docet: „commisit nos cum Hermogene caeterisque, qui Deum ex materia, non ex nihilo operatum cuncta praesumunt", τὸ caeteri credo fieri saltem potest, ut pictoris asseclae sit intelligendum 2). Quid vero?

---

1) Ex quo Tillemontius haud reprehendendus, quod tom. III pag. 110 memoriar. Hermogenem Gallice nominat „heresiarque".

2) Apte forsitan notabuntur hoc loco nonnulla de cap. XXX libr. de praescript. advers. haeretic., quo legitur: „Nigidius nescio quis, et Hermogenes, et multi alii, qui adhuc ambulant pervertentes vias Dei, ostendant mihi (subaudi: Septimio), ex qua auctoritate prodierint" (in ecclesia scilic. Christiana). Vocabula „pervertentes vias Dei" respondent Graecis „διαστρέφοντες τὰς ὁδοὺς Κυρίου", quomodo in cap. XIII Actor. 10 legitur, talesque denotat, qui recta Domini placita productis falsis pervertunt. Certe singulari ὁδὸς τοῦ Κυρίου significatur plus vice simplici Messiae religio,

audivimusne in §. XIII, ut Philastrius cap. LIV de haeres. Hermogenenianos ab Hermogene (exstitisse) dixerit? Cum Philastrio sentit Augustinus cap. XLI de haeres. aperte dicendo: „Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt". Neque vero satis probabilem caussam videri mihi videor, cur ambo ecclesiae doctores Hermogenianos ad arbitrium sibi finxerint. Rebus sic se habentibus, non possum non censere, reliquisse nostrum reapse quandam sectam.

---

inspice XVIII Act. 25, cf. v. 26, item XX Luc. evangel. 21. Quicunque in hac expositione conquiescere non valuerit, anteponat alteram, ex qua viae Dei sunt intelligendae consilia, quae Deus de genuina Jesu doctrina inter mortales propaganda cepit, sed quorum eventus prosperos homines haeretici perversis scitis cohibent; sumitur hoc enim sensu formula XI Rom. 33; III Hebr. 10. Ad Nigidium quod attinet, ego tanto minus declaraverim Hermogenianum, quia Hermogeni a Septímio praeponitur, atque adeo profitetur Septímius, sese, qui sit Nigidius, nescire. Contra quoniam in serie eorum ponitur, qui Dei vias pervertunt, non dubito, quin sit haereticus judicandus. Repugnat mihi Moreau, ad locum Tertulliani observans: „Nullum reperi hactenus, qui Nigidii haeretici faceret mentionem". Verum id qui tandem potest esse offendiculo (σκανδάλῳ in scriptis Pauli), quum Nigidius, quemadmodum perquam verosimile est, tanquam haereticus haud ita magna inter Christianos perfecerit, eaque ex caussa ab haeresiologis, ut Epiphanio, ut Theodoreto, commemoratus esse non videatur. Nigidii tamen appellationem in orbe ántiquo albam avim, uti ajunt, non fuisse, inde apparet, quod (ne Moreau quidem negante,) vel Augustinus

Licet idem praestare non sustineam, sectam multa per saecula in tractibus Africanis permansisse 1).

De principiis sectae, quae ad instar omnium ferme principiorum parva fuerint, venit mihi in mentem memorabilis alicujus effati, quod aetatis recentioris historicus proloquutus est: „Dem Menschen ist nicht gegeben, ohne Religion zu seyn; dem Sinnengenuß folgt eine unausfüllbare Leere nach, in das Gemüth kehren die oft bekämpften Ahnungen mit immer neuer Macht zurück, ein inneres Bedürfniß, ein geheimnißvoller Zug lenkt unablässig den Geistesblick gen Himmel." Verum enim vero haud pauci homines pro natura, qua affecti sunt, peccatis et erroribus depravatâ ibi quaerunt nonnumquam veram religionem (τὰ θεῖα), ubi errorum in rebus religionis obtinet multitudo. Quot documenta dicti exhibet haeresium Christianarum et haereticorum historia! Augustinus sapientissime: „Quaerite, quod quaeritis, sed non est, ubi quaeritis." Ve-

---

de civit. Dei lib. V cap. 3 verba facit de „Nigidio figulo, insigni mathematico, philosopho, Pythagoricos aemulante, qui tempore Octavii Augusti, quem orbis Dominum fore praedixerit, fuerit".

1) Schroeckhius tom. III pag. 183 citat. operis ait: „Die Anhänger desselben (i. e. Hermogenis), — wer sie gewesen und wie lange sie fortgedauert haben, dieses nebst andern Nachrichten, die zur Geschichte des Hermogenes zu gehören scheinen, ist alles sehr ungewiß". Affero vocem Schroeckhii, quia theologica modestia, qua quae fontium penuria constitui nequeunt, ea constituere non audet, viro laudi esse debet.

rum effatum esse, pater ecclesiae in semetipso pluries expertus est, id quod hic prolixius ostendere, ineptum foret.

---

§ XVI.

Exponitur de iis, quos Hermogenes in ecclesia antiqua Christiana expertus est, adversariis.

„Ille veritatis defensor esse debet, qui, quum recte sentit, loqui non metuit, non erubescit" 1).

AUGUSTINUS.

Initio scripti de anima, quod Septimio auctore exstitit, leguntur: „De solo censu animae congressus Hermogeni, quatenus et istum ex materiae — suggestu — constitisse praesumpsit, nunc ad reliquas conversus quaestiones, plurimum videbor cum philosophis dimicaturus". Pauloque infra cap. III invenitur: „Una jam congressione decisa adversus Hermogenem, ut praefati sumus, quia animam — non ex materia vindicamus, — de isto nihil amplius revolvendum". Liquet ex utroque dicto, Septimium cum haeretico aliquando pugnasse de eo, unde anima primitus progressa existimetur oporteat etenim ex

---

1) Quantam in vi veritatis repositam fiduciam prodit Crucius, lib. II epistol. pag. 112 contendens: „Veritas — licet in caussa (scil. sua) nullum habeat patronum aut defensorem, tamen per se ipsa defenditur, nec magis quam flamma latere potest".

Tertulliani, Genesin II, 7 respiciens [illegible] ex flatu Dei constitit, (videsis cap. [illegible]) Quin quum dici nequeat, congressum [illegible] lem in opusculo, quod κατὰ ἔργον [illegible] mogenem inscribatur, factam esse — [illegible] videlicet sententiae opusculi argumentum. [illegible] Franc. Junio secus videtur, — mihi quidem [illegible] menter probabilis est Pamelii atque Marci [illegible] etura', esse totum aliquod opus de censu [illegible] Septimio confectum. Quodsi quaeras: ubinam [illegible] reperiundum sit? Guil. Caveus inter deperdita [illegible] byteri Carthaginiensis scripta refert (cf. [illegible] mam pii Cavei historiam litterariam scriptor. [illegible] siasticor. edit. Londin. an. 1688, pag. 59). [illegible] vero idem esse statuit cum eo, quod aetatem [illegible] citer tulerit, de anima opusculo Tertulliani. [illegible] dem, qui sum et quantuluscunque ad judicandum [illegible] canonicum Vindesoriensem (i. e. Caveum) recta [illegible] in hoc genere vidisse reor, propterea quod cap. II de anima offenditur: „una jam congressione de*cisa* adversus Hermogen." caet. Accedit, ut Septimius in scriptione de anima multo plura, quam natales, ut ita dicam, animae persequatur, veluti item de morte naturae debito (cap. L.) exponit, praeterea de animis martyrum post mortem corporis in paradisum translatis (cap. LV), de somno tanquam mortis speculo 1) (cap. XLIV sqq.).

---

1) Etiam Jo. Ge. Walchius pag. 861 histor. eccles. relig. pro altero, quem Tertullianus contra pictorem com-

erum praeter presbyterum Africanum nonne quis adversus haereticum surrexit? Narrat Theo- lib. I fabular. haereticar.: „Theophilus An- nus episcopus scripsit in eum et similiter Ori- “. 1) Probe observandum est, summum theo- a orientalem ista de eodem memorare Hermo- qui, ut propria Theodoreto vocabula adhibeam: subjecta materia et congenita dixerit Deum omnia fabricatum“. Hinc cave putes, Theophilum n, qui a pictore nostro diversus sit, oppugnasse mogenem, praesertim quum evictum dari non sit, Theodoretum esse in hac relatione deceptum. de ad Nostrum potius referendum est, quod Euse- is Pamphili lib. IV histor. ecclesiast. cap. 24 tradit: οῦ — Θεοφίλου, ὃν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον δεδηλώκαμεν —, ἄλλο (praeter τρία τὰ πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη συγγράμματα) „ „πρὸς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους“ “ τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον, suppleas φέρεται) ἐν ᾧ ἐκ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάν- ου κέχρηται μαρτυρίαις“. 2) Quo certius est, Theophili scriptionem periisse tempestatis injuria, eo jucundior debet nobis esse vox Eusebiana, Theo-

---

posuerit, libro scriptum de anima praepropere accipit. Is quoque Walchius ampla magis scientia theologica praecellit, quam mentis acumine.

1) Versionem Latinam cito, deficiente proh dolor! Graeco Theodoreti textu.

2) Concinit cum Eusebio Hieronymus cap. XXV libri

Tertulliani, Genesin II, 7 respicientis, judicio anima ex flatu Dei constitit, (videsis cap. III de anima). Quin quum dici nequeat, congressum hunc specialem in opusculo, quod κατὰ ῥητὸν adversus Hermogenem inscribatur, factam esse — refragatur huic videlicet sententiae opusculi argumentum, quamquam Franc. Junio secus videtur, — mihi quidem vehementer probabilis est Pamelii atque Moreau conjectura, esse totum aliquod opus de censu animae a Septimio confectum. Quodsi quaeras: ubinam id opus reperiundum sit? Guil. Caveus inter deperdita presbyteri Carthaginiensis scripta refert (cf. eruditissimam pii Cavei historiam litterariam scriptor. ecclesiasticor. edit. Londin. an. 1688, pag. 59), Alixius vero idem esse statuit cum eo, quod aetatem feliciter tulerit, de anima opusculo Tertulliani. Equidem, qui sum et quantuluscunque ad judicandum, canonicum Vindesoriensem (i. e. Caveum) rectum in hoc genere vidisse reor, propterea quod cap. III de anima offenditur: „una jam congressione *decisa* adversus Hermogen.“ caet. Accedit, ut Septimius in scriptione de anima multo plura, quam natales, ut ita dicam, animae persequatur, veluti item de morte naturae debito (cap. L.) exponit, praeterea de animis martyrum post mortem corporis in paradisum translatis (cap. LV), de somno tanquam mortis speculo 1) (cap. XLIV sqq.).

---

1) Etiam Jo. Ge. Walchius pag. 861 histor. eccles. relig. pro altero, quem Tertullianus contra pictorem com-

Verum praeter presbyterum Africanum nonne alius quis adversus haereticum surrexit? Narrat Theodoret. lib. I fabular. haereticar.: „Theophilus Antiochenus episcopus scripsit in eum et similiter Origenes“. 1) Probe observandum est, summum theologum orientalem ista de eodem memorare Hermogene, qui, ut propria Theodoreto vocabula adhibeam: „ex subjecta materia et congenita dixerit Deum omnia esse fabricatum“. Hinc cave putes, Theophilum talem, qui a pictore nostro diversus sit, oppugnasse Hermogenem, praesertim quum evictum dari non possit, Theodoretum esse in hac relatione deceptum. Unde ad Nostrum potius referendum est, quod Eusebius Pamphili lib. IV histor. ecclesiast. cap. 24 tradit: „τοῦ — Θεοφίλου, ὃν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον δεδηλώκαμεν —, ἄλλο (praeter τρία τὰ πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη συγγράμματα) „ „πρὸς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους“ “ τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον, (suppleas φέρεται) ἐν ᾧ ἐκ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου κέχρηται μαρτυρίαις“. 2) Quo certius est, Theophili scriptionem periisse tempestatis injuria, eo jucundior debet nobis esse vox Eusebiana, Theo-

---

posuerit, libro scriptum de anima praepropere accipit. Is quoque Walchius ampla magis scientia theologica praecellit, quam mentis acumine.

1) Versionem Latinam cito, deficiente proh dolor! Graeco Theodoreti textu.

2) Concinit cum Eusebio Hieronymus cap. XXV libri

philum testimoniis, ex revelatione Joannea petitis, usum esse. At quibus tandem? Forsitan X cap. 6, ubi is, qui in saecula saeculorum vivere pronuntiatur (i. e. aeternus Deus) dicitur: „ἔκτισε τὸν οὐρανὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ“, ut materiae, ex qua Deus condiderit mundum, prorsus nulla habeatur mentio; aut (seu et) IV cap. 11, quo loco viginti quattuor presbyteri hac ratione alloqui sistuntur Deum: „Σὺ ἔκτισας τὰ πάντα καὶ διὰ τὸ θέλημά Σου ἦσαν καὶ ἐκτίσθησαν,“ tametsi non infitias eo, potuisse episcopum Antiochiae alios quoque usurpare locos. Inde autem, quod Theophilus pictorem Africanum calamo est adortus, 1) primum

„de viris illustribus“ aestumatissimi. Quid? quod praeterea scribente Hieronymo: „Feruntur (scil. Theophili) — — et alii breves elegantesque tractatus, ad aedificationem (οἰκοδομὴν apud Paulum) ecclesiae pertinentes“, apud Caesareensem quoque episcopum deprehenditur: „καὶ ἕτερα δὲ τινὰ κατηχητικὰ αὐτοῦ βίβλια“, (scil. φέρεται) i. e. libri quidam alii institutionem in genuina doctrina Christiana spectantes; jungit nimirum Lucas XVIII Actor. 25 cum participio κατηχούμενος particulam τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου. Hieronymum vero scripta Eusebii perlustrasse, num dubitari potest?

1) Observat Tillemontius pag. 111 saepius laudati operis sagaciter: Nos non cognitum habere alium, qui isto tempore exortus sit, Hermogenem, quam istum a Tertulliano petitum. De caetero mirandum venit, Joann. Clericum, etiamsi adeo insigni mentis acumine praeditus erat, (pag. 736 historiae ecclesiast. duor. primor. a Christo nato saeculor. relq. Amstelod. an. 1716) haec

mea opinione satis perspicuum fit, esse per sectam Hermogenianam haud levia pericula genuinae Filii Dei religioni ecclesiaeque comparata, deinde, haereticus quando floruerit, conjiciatur licet. Etenim quum Theophilus vitam jam inter annum centesimum septuagesimum atque centesimum octogesimum duxerit, Hermogenes vel vivo Marco Aurelio, cujus imperium in his quoque annis collocandum, vitam degerit necesse est. Conferatur id, quod exeunte § II dictum.

---

§ XVII.

Quaenam ratio Herniae ei, de quo inprimis apud Philastrium est, cum pictore nostro intercedit?

Recte legitur apud Chardinium (videsis tom. II operis: „voyage en Perse“ pag. 154): „Le doute est la clef de la connaissance. Qui ne doute point, n'examine point; qui n'examine point, ne decouvre point; qui ne decouvre point, est aveugle et demeure aveugle“. 1)

Profecto non me praeterit, virum quo-

---

duntaxat esse eloquutum: „quum — Hermogenem confutasse dicatur Theophilus“, quasi vero nil exstiterit dubii, an res ita se habuerit.

1) Locum quodammodo παράλληλον deprehendas apud Joann. Philipp. Kirchium, pag. 253. tom. I der „Predigten auf alle Sonn- und Festtage des ganzen Jahres zur Erweckung und Stärkung des Glaubens und religiösen Sin-

que eum, cui Praedestinatum, quem vocant, debeas, cap. LIX, ni fallor, (non enim copia libri mihi facta,) atque Augustinum cap. LIX de haeres. Hermiae illius, qui positus mihi ob oculos est, mentionem habere; sed Philastrius, uti ambobus est antiquior, ita videtur esse dignissimus, cujus effata super Hermia commemorentur prima, Augustinianis quidem haud temere neglectis: „Quae est (sic invenias apud episcopum Brixiae, cap. LV de haeresib.) vanitas Galatarum, 1) Seleuci et Hermiae haereticorum? qui, quum volunt Deum esse corporeum, hylen etiam, id est materiam mundi, coaeternam esse cum Deo asserunt, et materiam quidem elementorum (intellige ὕλην, ex qua elementa profecta sunt,) quae est sine anima, (quae est) irrationabilis, quae facta est a Deo Patre per Filium ex nihilo, ut possit esse quae ante non erat, non ita accipiunt, 2) (nempe quemadmodum do-

---

nes", nisi quod addit praeclare: „Es muß Wahrheitsliebe und ein unbestochenes Herz den Menschen dabey (i. e. inter explorandum et quaerendum) leiten".

1) Philastrius num in his alluserit ad vocem Apostoli Gentilium: „ὦ ἀνόητοι Γαλάται“ cap. III epistl. iis datae, saltem dubium est, quandoquidem τὸ vanitas Philastrii pariter atque Tullianum (libr. III de offic. 14) videtur significare mendacium, quum Paulina voce dementia potius seu imprudentia Galatarum declaretur. Notae sunt scriptiones: Hoffmanni „de Galatia antiqua“ Lips. 1726; Wernsdorfii „de republica Galatar.“, Norimbg. 1742.

2) Haec ab Augustino loc. supra cit. contractiora multo sunt proposita.

cent superiora, sic ut existimetur a Deo Patre per Filium ex nihilo facta). Spiritum autem hominis, id est animam non factam a Deo per Filium, sed de terra esse ajunt. 1) Malum autem aliquando a Deo, aliquando esse a materia asserunt. Salvatorem 2) autem in carne (= corpore, Hebr. basar 3)) negant sedere

1) Fabricius: „hoc est, inquit, — de materia prodire". Verum verbis quidni inhaereamus, ut animae de terra ex materia jam parata exortae (Seleuco atque Hermia judicibus) sint?

2) De nomine σωτὴρ M. Tullius in actione II in Verrem lib. II, 63: „Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit". Nihilo tamen secius Latini patres usi ad exprimendum nomen sunt uno verbo „salvator", quippe in quod incidas apud Augustinum III de trinitat. 10, Tertullian. III advs. Marcion. 18. Cicero contra, quem nemo negabit inter auctores Latinos classicum: „Is est — Soter, — (Hebr. moschia) qui salutem dedit". Σωτὴρ in Novo Foedere frequenter audit Jesus Christus (II Petr. 2, 10; 1, 11; 3, 18; V Act. 31; IV Evgl. Joann. 24 al.), quatenus nimirum mortales iis, quae docuit, fecit, passus est, imprimis eo, quod mortuus est, a peccatis eorundemque poenis salvos praestat (σωτὴρ ex opinione Hesychii idem cum λυτρωτής,) postremo non interiturae felicitatis participes reddit. At vero ipse Deus Pater σωτὴρ appellatur, praecipue in epistolis, quas vocant pastorales, (vide III Tit. 4; II, 10; I Timoth. 2, 3, al.), siquidem, quae est ineffabilis ejus gratia, per Jesum Filium omnigenam hominibus salutem procuravit; lege Aug. Ludov. Christ. Heydenrichii „die Pastoralbriefe erläutert", tom. I, pag. 71, 72. Opus vere Christianum, item eruditum.

3) Inspice XIX Levitic. 18. De significatu vocabuli σάρξ vide I Petr. 3, 18; II Coloss. 1; II Cor. 4, 11; II

ad dextram Patris; sed exspoliasse (i. e. deposuisse, neque vero vi quadam, uti haud raro usurpatur verbum, cf. cap. II Catilinae Sallustiani,) carnem, et posuisse in solem 1) aestimant, quia dixit propheta, quum nesciant, quid dixerit: „ „In sole posuit tabernaculum suum" " 2). Paradisum visibilem affirmant ex Platone 3), et isti vanitatibus servientes, et animas hominum de igne et spiritu esse aestimantes 4), isto baptismo (subaudi: quo utitur ecclesia

---

Ephes. 11. „De notione vocis σάρξ in scriptis Nov. Testam." dissertatio Sartorii theologic. in manibus est, Tubingae recusa.

1) Ego ad arbitrium non scripserim „sole", quum praesertim Ovidius VIII lib. metamorph. v. 452 adhibuerit: „stipitem in ignem ponere".

2) Invenias hanc enuntiationem etiam ab Augustino prolatam, mutatis tantum paucis. Quod locum prophetae (i. e. Davidis psaltae, cui dignitas prophetae in Nov. Instrumento merito vindicatur), attinet, relegas ea, quae mihi in superiore quodam § sunt annotata.

3) Quid? quod refert Augustinus: „negant etiam visibilem Paradisum". Antithesis haecce Philastrii et episcopi Hipponensis satis in propatulo est, nisi forte sumere placet, haereticos pro inconstantia sua incredibili visibilem Paradisum modo affirmasse, modo negasse. Fecerim celeberrimi effati Augustiniani hoc loco applicationem: „Distingue tempora et concordabit Scriptura sacra"! Id quod quummaxime cadit in repugnantias aliquot, quas non nemo inter evangeliorum de Christo narrationes deprehendere sibi visus est.

4) Ea vero numne refragantur superioribus, ex quibus „animam — de terra esse ajunt". Res nescio an ita comparata sit; sed licet tollere τὸ ἐναντίον, statuendo: Se-

ἡ καθολικὴ,) non utuntur 1), propter verbum hoc, quod dixit Joannes baptista: „„Ipse vos baptizabit in spiritu et igne““ 2). Isti angelos dicunt crea-

---

leucum et Hermiam superiores animae facultates ex igne et spiritu, inferiores de terra ortas voluisse, cf. init. § XI hujusce script.

1) Augustinus: „baptismum *in aqua* non accipiunt“.

2) Adducit Fabricius I Marc. 8; at quoniam phrasis „καὶ πυρὶ“ in effato ibi Joanneo desideratur, rectius, uti arbitror, III Matth. 11, ubi apparet, citasset. Idem consentit cum Joanne Gottfrido Oleario, qui in dissertatione: „De baptismo Spiritus sancti et ignis, quam praeside Joh. Schmidio habuit Lips. 1706“, § 14 annotaverit: „ex hoc loco Philastrii non posse probari, quod ignis etiam baptismo usi Seleuciani atque Hermiani fuerint“. — Jam vero non diffiteor, effatum illud Joanneum in hanc sententiam explanari posse: Jesum homines (sibi addictos) Spiritu sancto (i. e. sancti Spiritus viribus effectibusque, cf. de hac metonymia II Act. 4,) largiter impleturum esse, qui Spiritus ignis sit, hoc est instar ignis cujusdam „fideles (quomodo copiosius habetur apud Cornelium a Lapide,) a peccatis expurget, illuminet, accendat, sursum ad coelum rapiat ac roboret, ut omnia adversa superent“. Neque vero Chrysostomus ab ea enarratione ita multum recedit, dum vocula πῦρ „τὸ σφοδρὸν καὶ ἀκατάσχετον τῆς χάριτος per ἐπεξήγησιν ostendi vult. Ego contra in phrasi ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ figuram ἓν διὰ δυοῖν, in Novo Foedere saepenumero (ut I Corinth. 2, 5) obviam, malim deprehendere; cf. Ludovic. Cappellum ad Matth.. Quemadmodum igitur vel recentioribus sunt temporibus inventi, qui optima hac ratione interpretarentur: Jesum homines baptizaturum esse „inter ignem id est Spiritu sancto sub ignis specie homines

tores esse animarum nostrarum, nec Christum Salvatorem (hoc nimirum de divina Christi natura intelligendum, praesertim Augustino referente: „„nec animam *Deo* tribunt Creatori" ".) Mundum autem istum (annon propter calamitates ejus et miserias?) infernum esse asserunt (id est, ut opinor, Tartarum

---

superveniente", id quod in prima *πεντηκοστῇ* Christiana (II Act. 1 sqq.) miraculo perfectum (videsis Kuenoelii commentarium ad III Matth. 11), — nonne eadem similisve ratio Hermias ac Seleuci esse potuit, ita ut opinarentur, suum beptismum, dummodo baptismi, quem principes sectatores Domini experti sunt, accurata imago evaderet, igne adhibito esse administrandum? (Non est, si quid video, gravius quid, quod huic sententiae nostrae adversetur). Immo haud scio an instar *ἀναλογίας* alicujus accipiendum sit id, quod Hugo Grotius, doctrina aeque atque ingenio valde praestabilis, ad III Matth. 11 de Aethiopibus accommodate narravit: „Juxta baptismum ustionem quoque usurpant; factum arbitror more veterum Christianorum, qui traditis a Christo ceremoniis signa addebant, quae verba Scripturae, eandem rem aliter atque aliter adumbrantia, in memoriam revocarent. Talis fuit lactis et mellis praegustatio, signatio crucis" caet. Saltem videtur mihi quidem nondum liquere, utrum Seleucus atque Hermias, aquatilem baptismum non approbantes, igneum, ut ita dicam, simul revera improbaverint respuerintque. Quis autem, indole religionis Christianae, caritatem dico ex genuina in Christum fide prodeuntem, bene perspecta, cum Cornelio, quem supra memoravi, sentire sustineat, exclamante: „dignus sane haeresi et haereticis fuit igneus hic baptismus, digna talibus tortoribus carnificina"! Vox Jesuita aliquo digna.

ipsum, qui ab Hesychio „„ὁ ὑπὸ τὴν γῆν κατώτατος τόπος““ repraesentatur, itemque apud Apollodorum „„τοσοῦτον ἀπὸ γῆς ἔχων διάστημα, ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ““ cogitatur). Et resurrectionem in filiorum procreatione hanc esse praedicant, quae fit in humano genere quotidie, non illam immortalitatis futuram atque gloriosam annuntiant exspectantes“ 1).

Antequam igitur, quoad ejus fieri potest, exploremus, qua tandem ratione Hermias, abs quo adeo perversae opiniones fluxerunt, ad pictorem nostrum sese habeat, cavendum esse existimo, ne quis istum praecipitanter confundat cum alio quodam Hermia, qui „Christianae fidei Apologistis“, secundo exortis saeculo, plerumque accensetur. Is videlicet philosophus in libello, qui inscribitur: „διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων, circa id occupatur, ut enarret di-

---

1) Exhibentur ea ab episcopo Hipponis Regii non pariter prolixa. De Seleuci ergo et Hermiae sententia ii resurrecturi non sunt, quin hac in tellure non resurgunt, qui filios non generant. Quam arbitraria et absurda doctrinae de resurrectione mortuorum interpretatio! Hanc resurrectionem qui rejiciunt, obliviscuntur saepenumero, Deum adeo esse omnipotentem, ut vel de nihilo produxerit universum, nedum ex corporibus hominum, qui extremum vitae diem morte confecere, nova producere valeat, (quorum certe σπέρματα seu λόγοι σπερματικοὶ in pristinis sita; cf. Origenem lib. II de principiis [num mundi? an fidei? posterius verosimilius] cap. 2, 3).

versas opiniones, quas varii Graecorum philosophi (haud exceptis summis) super animae qualitate ac statu futuro, super *ἀρχῇ* vel *ἀρχαῖς* universitatis rerum, et multitudine mundorum — cui Epicuri in mentem non veniat? — effutiverunt. Voluit, quomodo ipse in calce libelli confitetur, monstrare: „*ὡς εἰς ἄπειρον αὐτοῖς* (subintellige: philosophis atque sophistis) *καὶ ἀόριστον πρόσεισιν ἡ ζήτησις τῶν πραγμάτων* (sublimiorum nimirum), *καὶ τὸ τέλος αὐτῶν ἀτέκμαρτον* 1) *καὶ ἄχρηστον, ἔργῳ μηδενὶ προδήλῳ* 2) *καὶ λόγῳ σαφεῖ βεβαιούμενον*“. Quum igitur *διασυρμοῦ* auctor neque errores tales, quales apud Hermiam Philastrii offendas 3), proloquutus sit, ne-

---

1) Id est: non satis consideratum. Potest *ἀτέκμαρτον*, uti a *τεκμαίρεσθαι* deducendum est, sic id, quod nulla sibi *τεκμήρια* (notas) sumit, proprie significare. Nisi forte lubet, Raphaelem Seidlerum, Hermiae interpretem, sequi, *τὸ ἀτέκμαρτον* de fine *inexplicabili* accipientem. Ne is quidem significatus in loco philosophi ineptus.

2) Contra genuina religio Christiana manifestis rebus in facto positis nititur, ut in miraculosis natalibus, vita, potenter factis Christi, morte, qua Christus summam erga caelestem Patrem obedientiam monstravit, resurrectione, redemtionis humanae documento, ascensione in caelos. Neque is locus ullam habet dubitationem, quin optimum veritatis divinae, quae in Christiana religione inest, argumentum ex iis rebus in facto positis depromi queat, quamquam nonnulli rei Christianae *ἀπολογηταὶ* id neque animadvertere, neque (cum damno religionis nostrae) fecerunt.

3) „*Ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου*“ visa quidem est Hermiae „*τὴν*

que vero a doctoribus haeresiologis in numero haereticorum reponatur, equidem non possum non censere, Hermiam, rei Christianae defensorem εἰρωνικὸν, ab Hermia Philastrii bene esse discernendum. Ne quis obvertat mihi, nomina saltem hominum plane eadem esse; etenim quot quaeso homines in mundo prodierunt, quibus Hermiae nomina erant imposita? Hermiae Sozomeni quis non meminerit 1)? Adde

---

ἀρχὴν εἰληφέναι ἀπὸ τῆς τῶν ἀγγέλων ἀποστασίας (nimirum ἀπὸ τοῦ Θεοῦ), δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ σύμφωνα, οὐδ' ὁμόλογα οἱ φιλόσοφοι πρὸς ἀλλήλους λέγοντες, ἐκτίθενται τὰ δόγματα" (inspicias initium διασυρμοῦ). Verum pluresne Catholicae ecclesiae doctores sapientiam hujus mundi (seu ἐπίγειαν, ψυχικὴν, σαρκικὴν) ab eodem diabolo repetiverunt, qui peccati in hominibus conspicui auctor sistitur? Errores in rebus divinis mirum quantum cum voluntate a Deo sanctissimo aversa cohaerent. Quomodo altera ex parte rectissime monitum est: „Alle Sittenlehre stehet im genauesten Verhältniß mit der mehr oder minder reinen Erkenntniß Gottes; sie steigt und fällt damit". Annon Paulus (I Col. 9, 10) Deum rogat: „ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ, περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ Κυρίου εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν" κ. τ. λ. (cf. Joann. Frid. de Flattii „Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Philipper, Colosser" caet. edit. a Klingio, pag. 161; item „isagogen in epist. ad Coloss." pluries citatam, ad v. 9, 10). Hinc non mirum, quod scite observas vir quidam reverendus: „Auch ihre reinere Sittenlehre haben die neuern Philosophen (wenn gleichwohl viele es nicht erkennen wollen,) der göttlichen Offenbarung zu danken".

1) Quid? quod in orbe erudito exorti sunt, quibus placeret, Hermiam, Christianae religionis propugnatorem,

huc, quod in epistola Ciceronis ad Tironem (videsis libr. XVI epist. ad diversos, uti perperam ajunt, 15) his injicitur Hermiae cujusdam mentio, atque semel libr. I epist. ad Quintum fratr. 2, 4. Insuper cf. Suidam, ex quo de Hermia Alexandrino compertum, qui Syriano Alexandr. praeceptore usus, Aedesiam quandam in matrimonium duxit 1). — Patet ex iis, quae hactenus disputavi, me cum Walchio nequaquam facere, pag. 558 tom. I „des Entwurfs einer Historie" caet., caute nimis ob eamque caussam falso affirmante: ad quaestionem, an uterque Hermias unus sit idemque, nullam prorsus responsionem dari posse.

Ad rem, in ipso paragraphi titulo indicatam, dum jam revertor, ego persuadere mihi nequeo, Thomam Ittigium Lipsiensem verum vidisse, videlicet

---

non alium esse, nisi Hermiam Sozomenum, quem in comperto est de ecclesiae Christianae historia praeclare esse meritum. Quumprimis Lambecium ob oculos habeo. Quodsi virum philosophum cum historico, qui ad quintum saeculum referri debet, scriptore promiscuerunt, — falsum hoc esse, dudum est a Caveo domonstratum in part. II historiae scriptor. ecclesiast. litter., ex quo denuo evincere opus non est, — quanto incertior ideo apparet Hermiae philosophi cum haeretico Hermia confusio!

1) Legitur etiam cap. XLVI apologetici, quem Septimius advers. gentes conscripsit: „Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excedere facit".

pag. 265, 266 dissertat. „de haeresiarchis aevi apostolici“ caet. haec atque talia docentem: „sub Hermiae nomine, quem Philastrius pariter ac Augustinus cum Seleuco conjungunt, non alius forte indicatur, quam quem Tertullianus et Theodoretus Hermogenem appellant“ 1). Scilicet opinioni plura obstant, quam ut egomet assentiri queam: si Hermias Galata apud Philastrium vocatur, atque Hermioritae discipuli in locis Galatiae commorantes (videsis Philastr. c. LVI), pictor noster in Africa vitam duxit, quae est ab Galatia adeo dissita. Dein nomina Hermias et Hermogenes, dummodo haud negligendam terminationem respexeris, quam diversa! Tum Hermia aliquando Deum, aliquando meteriam principium mali ponente, Noster non solum prius perpetuo detestatus est, sed omnem etiam operam in eo consumpsit, ut unicam materiam fontem mali evasisse commonstraret. Denique Hermias angelos declaravit animarum humanarum creatores; Hermogenes contra earundem ex materia productionem ipsi Numini supremo assignatam

---

1) Ittigius quidem dicit, Danaeum ad Augustin. de haeres. c. LIX et Pamelium in not. ad Tertull. librum adv. Hermg. pag. 551 conferendos. Danaeum Pameliumque quod inspicere mihi haud licuit, tanto est injucundius, quanto est verosimilius, ambos in ea re, qua de agatur, cum „aedis Nicolaitanae in urbe Lips. archidiacono“ conspirare. Attamen non defuisse, quorum judicio Hermogenes ab Hermia distinguendus sit, monstrant quomodo vel Ittigius concedit, exempla Vossii disputat. I de creat., Baronii in annalib. ad ann. 170.

voluit 1). Accedit, ut complura in ore Hermiae deprehendantur commenta, quae eadem a nemine Christianae antiquitatis auctore Hermogeniana unquam appellata sunt, nimirum: mundum inferni instar habendum, corporalem resurrectionem et generalem in fine temporum nullam futuram, Paradisum externo adspectu perceptum hominibus iri 2). Altera ex parte contendere non ausim, in Hermiam quadrare id, quod Hermogenem ex parte saltem attingit: scilicet, quomodo ait Joann. Joseph. Muellerus: „Humanus — animus novitatis studio ducitur, cujus saepenumero specie illectus, *magisque contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis, quam sano fidens judicio,* vana pro veris, pro solidis inania complectitur" 3); neque enim γένεσις erro-

---

1) Hermias si decrevit, animas (etiam) ex igne et spiritu ortas, quaestio potest esse, num spiritum aërem naturae i. e. elementum, an Spiritum Dei intellexerit? Superius si cujusdam opinione est verosimilius, hoc quoque nomine differunt Hermias et Hermogenes, quippe quo judice productae ex materia animae σπέρμα τι θεῖον divinitus acceperint. At vero quum nihil obstet, quominus posterius sumatur, satius est, locum, de quo sermo est, in medio relinquere.

2) Quod attinet Hermiae vocem, esse in summo Numine corporalitatem (verbum est Septimii), equidem supra jam indicavi, me ne tale quidem commentum apud Nostrum offendisse.

3) Petita sunt vocabula ex dedicatione opusculi: „Variae

rum, quorum accusatur Hermias, tam perspicua est, quam opinionum, Hermogeni probatarum, origo. Adde quod Hermiae baptismus in aqua acceptus non est, ad quem, quomodo Hermogenes sese habuerit, nunc quidem in obscuro. Verum propter illas adeo multas res, in quibus Hermias et Hermogenes differunt, mihi non videtur esse dubium, quin Hermias et Hermogenes a se invicem accurate distingui debeant.

Sed enim hic quispiam ex facili, ut arbitror, objecerit mihi haec: Quid? illine contenderunt ambo, ὕλην eandem cum Numine supremo aeternitatem tenere, Jesum non modo corpore semet exuisse, sed idem etiam soli quasi receptaculo cuidam tradidisse, corporalem quoque originem vindicandam animis? Contenderint sane! Verum hoc ipso nequaquam refellitur id, de quo persuasum mihi habeo. Etenim primum similitudines, Hermiae cum pictore intercedentes, profecto tantae non sunt, quantae utriusque dissimilitudines. Dein tria, quibus ambo addicti fuere, placita aliis etiam arriserunt multis; inspice priorem hujus commentationis appendicem, locum ex eclogis Alexandr. Clementis propheticis supra laudatum, denique in universum historiam dogmatum Christianor.. Quodsi foret propter scita ista tria statuendum, sub nomine Hermiae

---

de victu Joannis Bapistae opiniones examinatae", quod Bonnae editum est.

non alium indicari, quam quem Tertullianus Hermogenem appellaverit, Hermias caeterique illi haud pauci, quibus praeterea placita illa tria in amore ac deliciis fuerunt, item iidem exstitissent oporteret. Id quod sumere, nescio an perquam absurdum foret 1).

---

1) Nonnulla cum iis, quae in hocce § nobis tractata sunt, arctius cohaerentia, iccirco in appendicem alteram ablegavimus, ut ne paragraphus longior, quam par est, evaderet.

APPENDIX PRIOR.

Quid super productione universi statuerit antiquitas non Christiana, quidque opinionibus ejus hanc ad rem pertinentibus a doctoribus Christianis usque ad aetatem Hermogenis oppositum adjectumve sit, paucis demonstrabitur.

„Si cognoscere velimus, quid possit ratio hominis in invenienda religione, non nostram rationem consulere debemus, quos verbum Dei in viam deduxit; sed rationem illorum, quibus hoc verbum fuit — ignotum". Ita egregie plane WERENFELSIUS pag. 75 opuscul. theolog., philosoph., philolog..

A) de Paganis videamus.

Naturale hoc est animis humanis, ut, si quid in conspectum venerit, in rationes ejus cogitando inquirant. Hinc ii, qui in orientalibus regionibus, veluti *Indicis* degebant, et rerum universitatem consi-

derabant, imprimis de originibus mundi meditati sunt, et, quemadmodum iis potissimum de more et ex consuetudine erat, ὑπερβάλλοντά τινα, ut aptissima voce Paulina utar, excogitare ac proloqui, sic decreverunt, omne universum, saltem singularum earum rerum, quae in mundo exstent, semina ex ipsa natura divina 1) profluxisse 2). Quod quam quaeso absurdum! Nempe hac ratione nanciscitur mundus plane divinam naturam, filius Dei, quin Deus est, („Deo par", cfr. Augustinus lib. XII confession. cap. 7) 3), id quod quantum sanae rationi, quin Scri-

---

1) Vere ait theologus quidam Teutonicus, *Germanicum* usum loquendi respiciens: — „Wird von der Natur Gottes gesprochen, so ist eben damit von dem Begriffe der Natur abstrahirt; die Natur ist das Gewordene (natura von nasci), und jeder begreift leicht, daß in diesem Sinne von der Natur Gottes nicht könne die Rede seyn; die Natur Gottes wäre so vielmehr Creatur Gottes".

2) Evolvatur „detectio fundament. Boehmiani" pag. 84 sqq. Liber significatur Hinckelmanni, qui de ea, quam memoravi, apud orientales latius propagata sententia loquitur. (Haud ita dissimilem opinionem eloqnutus est Boehmius). — A Blaschio vocatur Deus „die Allanlage (?), von der das Weltall die Entwickelung ist. Die Entwickelung aber ist ein Offenbarwerden der an sich verborgenen Anlage, die Bildung mithin, als Erfolg der Entwickelung, die gewordene, vollendete Offenbarung". Repugnat isti notioni Dei ea, quae nobis continenter insita est, Dei conscientia, secundum quam et summam mentem et voluntatem liberrimam („personalitatem", barbare ajunt,) habet.

3) Idem egregie cap. 9: „fecisti caelum et terram non de Te, nam esset aequale unigenito (Hebr. jachid,

pturae sacrae refragetur, quis non videt? Si Deus, uti est apud Tertullianum, „nihil non ratione tractari intelligique voluit, quia omnium conditor nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit", studiose cavendum, ne ea proferat ratio, quae prope ab insania absunt. De philosophis Indiae seu Braminibus, quos vocant, cf. tom. II operis, quod inscribitur „voyage au terre du Grand Mogul" pag. 164. Ad hoc lectu non indignius liber Jac. Schmidtii est: „Ueber die Verwandtschaft der gnostisch-theoretischen Lehren mit den Religionssystemen des Orients, vorzülich des Buddhaism", edit. an. 1825 Lips..

Contra mythorum inter *Graecos* scriptores, item permulti philosophi *Graeci*, de ortu rerum universitatis perperam adeo cogitavere, ut materiam 1) τρoϋπάρχουσαν, et eandem tum ratione tum forma destitutam, ponerent, ex qua Deus τὰ πάντα,

---

μονογενεῖ) Tuo". Unde Augustinus ne cum Scoto quidem Erigena consenserit, docente: „Deus *fit* in omnibus", quamquam concesserit eidem hoc: „Deus vere est omne, quod est".

1) Materies formâ destituta quae et qualis sit, equidem perspicere non valeo; quippe in notione materiae hoc situm est, ut formâ instructa sit. Sola spiritualia, si genuinam eorum notionem persequare, forma carent. — Materia ab Ovidio nuncupatur „indigesta moles", a poëtis Graecis χάος. Indicante Festo χάος appellat Hesiodus „confusam quandam ab initio unitatem hiantem, patentemque in profundum". Apparet ex voce „hiantem", verbum χάος de sententia Festi a verbo χάω, χάζω i. e. apertum esse, derivandum.

quomodo mundus I Coloss. apposite nominatur, composuerit; nisi quod effector mundi a philosophis variis varie, ut Ζεῦς, νοῦς, ἰδέα, αἰθὴρ appellatur. Venit in hunc censum vel ille Plato, qui artem suam ad tam altum perfectionis gradum evexerat 1), ut a sectatoribus quibusdam, praecipue M. Tullio, tanquam Deus in multitudine philosophorum numeraretur. Non praeterit me, nonnullos contendisse: evangelicum dogma super universi ex nihilo creatione apud Platonem deprehensum sibi esse, scilicet, quia in amplis scriptionibus viri hic illic legatur: cuncta ἐκ τοῦ μὴ ὄντος facta. Verum enimvero quemadmodum phrasis τὸ ὄν apud nonnullos Graecos ingeniosos naturam denotat stabilem, neque vicissitudinibus obnoxiam illam, sic opposità illi particulà μὴ ὄν significatur id, quod accessionibus pariter atque decisionibus, in universum mutationibus est obnoxium, verbi gratia: situs, figura, ὕλη ipsa, tum instructa formà, tum quasi formà carens cogitata. Jam perspicuum est, verba Platonis, universum ἐκ τοῦ μὴ ὄντος prolatum, designare: cuncta ex materia, apparentibus nimirum rebus substrata 2), orta

---

1) „In ihm (Platonem intelligas), wie in einem Brennpunkte, sammelten sich alle Strahlen (subaudi: philosophiae Graecae), und er erscheint als der Gipfel, gleichsam aus dem Zusammenschauen und Durchdringen aller frühern hellenischen Bestrebungen auf dem Gebiete der Philosophie erwachsen". Ita haudquaquam male Schleiermacherus.

2) Tenemus commentatiunculam Eberhardi Pauli: „das

esse 1). — *Stoicos* si respexeris, Lipsius, acutissimus alioquin Cornelii Taciti commentator, ait: „Senecam (quem scias pariter atque Lipsium dogmatis Stoicorum addictum fuisse 2), dubitare, an Deus materiae auctor“? Spectat Lipsius, ceu declarat ipse, quaestiones naturales Senecae, quibus inclytus is philosophus aulicus: „quam utile, inquit, cognoscere: quantum Deus possit, materiam ipse sibi formet, an data utatur“! Evolvas alterum librum „physiol. Stoic.“, cujus auctor exstitit magnus, quem dixi, philologus. Verum enimvero (si modo

Chaos eine Dichtung, nicht ein Gesetz für physische Cosmologie“, in fasciculo IV der „Memorabilien“ reperiundam. In ea bona sunt malis mixta.

1) Non ignoro, Dacierium ac prius Livium Galantem, illum quidem in scriptione: „vie de Platon“, hunc in „comparat. theologiae Christian. et Platonic.“ singularibus praeterea argumentis probatum ivisse, materiam de sententia Platonis a supremo Numine procreatam esse, neque vero perennem. At vero haec si refellere in animo esset, mihi quoque singulari scriptione opus foret. Hic i. e. in appendice scriptionis alicuj., suffecerit, speciosissimum refutasse. — Quod restat, fuerunt, qui placitum, de quo mentionem feci, Christianum propterea defenderent a Platone propositum, quia (pariter atque Judaei, quibus, sub Ptolemaeorum imperio Alexandriae versatis, cordi erat, ut Vetus Instrumentum ab incursibus atque cavillationibus Graecorum quorundam tutum praestarent, —) demonstrare annitebantur, philosophiam Platonicam e Veteri, quo contineretur, Foedere tractam esse. Praecipue eruditissimi ejus presbyteri Alexandrini in mentem venit, quo Origenes imprimis usus est praeceptore.

2) *Moribundus* exlamavit: „Da (Domine!) patientiam *Christianam*“!

effatum scriptoris Romani diligentius consideres,) possit hoc cognoscendum proposuisse: Summumne Numen materiae forma penitus destitutae pro lubitu dederit demum formam, an Numen hyle, quae formis non optime constitutis instructa sibique data sit, sic sit usum ad mundum efficiendum, ut formas ejus optime constituerit 1). Ita saltem necesse non est, ut statuas, dubitasse Senecam: an Numen maximum materiam de nihilo produxerit? Si dubitasset, non „formet" (uti arbitror), sed „creet" posuisset. — Errant denique gravissime, si qui defenderunt 2), Peripateticorum principem primam materiam a Deo de nihilo voluisse productam? Quippe Stagyrita quoque, ex cujus mente mundus ipse nunquam ortus est (cf. IV libr. academic. quaestion. M. Tullii), videtur, ni fallor, optimum Numen eatenus universis mundi partibus auctor (sive principium, ἀρχὴ,) fuisse, quatenus externi earum habitus exstiterit auctor. Haec videlicet sola deprehendere licet in notissimo ejus viri, cui Alexander magnus tot tantaque debuit, effato: „Θεὸς δοκεῖ το αἴτιον πᾶσιν εἶναι", quod dictum in μετα-

1) Augustino libr. XX contra Faustum cap. XIV narrante: „hylen Graeci — materiam quandam rerum definiunt, — omnium corporalium formarum capacem".

2) Si celeberrimo quodam Germano judice scholastici medii aevi illud conati sunt demonstrare, certe in haud paucis Scholasticis id nequaquam incredibile, utpote quibus Stagyrita, uti ajunt, pro prora ac puppi esset.

φυσικ. I, 2 reapse offendas. Ego vero Platonicam, Stoicam, Peripateticam duntaxat hic respiciendam putavi philosophiam 1), quandoquidem e Tertulliano emergit, Hermogenem iis potissimum operatum esse. Quodsi caussam quaeras, qua adducti sint et Plato, et Seneca, et Aristoteles, ut mundum statuerent ex sempiterna materia a Deo effectum, caussam apud Philonem πλατωνίζοντα in hac praecipue voce (cf. pag. 939 libr.: „quod mundus sit incorruptibilis",) indicatam esse credo: „ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεται (??), οὐδ' εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται' ἐκ τοῦ γὰρ οὐδαμῆ ὄντος ἀμήχανόν ἐστι γίνεσθαί τι" (??) In quot autem quantasque difficultates necessario incidant ii, qui docent, materiam aeque atque Deum esse aeternam 2), mea quidem opinione clarum est ex scripto, quod contra Hermogenem Tertullianus exaravit. Idque quum jam satis superque ante adductum sit, difficultates prolixius exponere, necessarium non est. Alioquin taedium creabitur lectoribus! Jam sequitur, ut

---

1) Gaudeo, Moshemium in eis, quae de dictis Platonis, Senecae, Aristotelis proloquutus sum, judiciis, mecum consentire; cf. dissertat. viri pag. 35, not. 2 a me citat.

2) Rationem humanam esse imbecillem, vel hoc indicio est, quod, dum lumine revelationis alicujus extraordinariae destituitur, excelsam doctrinam super mundi ex nihilo creatione assequuta non est; compara Muenterum tom. II, part. 1, pag. 83 des „Handbuches der Dogmengeschichte". Eadem rationi (quum sana erat), arridere coepit, simul atque revelatio divinitus concessa mortalibus erat.

B) de Hebraeis verba faciamus.

Deus Dominus fecisse dicitur caelum LXXXXVI Psalm. 5, terram X Jerem. 12; item XLV. Jesaj. 18; XLII, 5, mare ac terram siccam. Et in hoc quidem facto, quis est, qui excellentissimam demissionem Dei, si sic loqui fas est, non cognoscat? Quum autem universitas rerum, quemadmodum Israelitae utique senserunt, in caelo, terra marique consisteret 1), Deus universitatem rerum secundum sententiam Hebraeorum fecisse existimandus est. Ad haec sistitur caelum in XXXIIII Psl. 6 verbo Dei i. e. voluntate ejus potenti factum, et exercitus caeli i. e. sol, luna, sidera, quae propter multitudinem instar exercitus sunt, halitu oris ejus, i. e. jussu ejus efficaci 2). Quid? quod XXXII Jerem. 17 perhibetur Deus caelum terramque sive mundum 3), vi sua magna extensoque brachio i. e., si a similitudine mentem abstraxeris, potentia, per opera semet exserente, produxisse; cf. pag. 76 hujus scriptionis, not. In scri-

---

1) („Τὸν Θεὸν) τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς“. Leguntur ea in CXLVI ψ. 6.

2) Legitur CXV Psl. 3 Dei respectu: „omnia, quaecunque vult (Hebr. chaphets), creat“.

3) Scriptores Hebraei, dum mare terrae inclusum sive contentum in terra putant, mundum non semel, veluti CXV Psalm. 15; I Genes. 1 vocitant „τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν“. Habes versionem virorum LXX, ne hic quidem aspernandam.

ptis igitur Veteris Foederis κανονικοῖς haudquaquam ab aeterna ulla materia pendere fertur mundi effectio, quum ad solam summi Numinis potentiam referant 1). Et religio Judaea, quae omnino id agit, ut professores sui neque infructuosis rerum divinarum contemplationibus sese dedant, et pie, sancte, juste vivendo imitentur Jovam, quantum hoc ipso placito reliquis, quae ante religionem Christianam floruere, religionibus praestat 2)! Probe

---

1) Carolus Seeboldus in libro, nuperrime foras dato, cui titulus: „Philosophie und religiöse Philosophen", Francof. ad. Moen., ait pag. 184: „die Hebräer hatten zwar eine Kosmogonie, aber keine Kosmophysiker und darum auch keine Wissenschaft". Postulat justitia, ut observemus, principia ejus, de qua hic memoratur, scientiae in ipsa κοσμογονίᾳ Hebraeorum contineri. — Caeterum egregie Augustinus: „ad fidem Dei creatoris non requiritur operosa naturae rerum et caussarum naturalium motionum pervestigatio, cui insudant physici, plura in his, quae invenisse se gloriantur, opinantes potius, quam scientes; sed sufficit, rerum omnium creatarum caussam nosse solam creatoris bonitatem, nullamque esse naturam, quae non aut ipse sit, aut ab ipso". Adi sis patris ecclesiastici enchiridion.

2) Placitum, quam vim saluberrimam in Hebraeos exseruerit, praeclare docet Jo. Ge. Müllerus tom. I pag. 254 lectionum supra laudatar.: „Den gütigen Gott, der sich den Vätern geoffenbart, sein ausgewähltes Volk nach Rathschlüssen der Weisheit und Güte geleitet, — zugleich als den zu kennen, von dem alle Dinge ihren Ursprung haben, der nach dem kühnen Ausdruck des Propheten (intellige Sacharjam XII, 1,) „„den Odem der Menschen,

scio equidem, apud Procopium Gazaeum (videsis interpretationem I libri Mosis,) exstare haec et talia: „Τὸ ἐποίησεν ἐπειδὴ λέγεται καὶ ἐπὶ τῶν ἔκ τινος γιγνομένων, οἷον ὅτι ἐκ σιδήρου δρέπανον ἤ τι τοιοῦτον ὁ τεχνίτης ἐποίησε, δέδωκέ τισι λαβὴν τοῦ λέγειν, ὡς Μωυσῆς ἐξ Αἰγυπτίων μαθὼν, ἐξ ὕλης προϋποκειμένης γεγονέναι τὸ πᾶν, εἰκότως εἶπεν ἐποίησεν. Ὧν (τινὰς intellige,) ἀγνοοῦντες τὴν συκοφαντίαν, οἱ ἑρμηνεύσαντες ἐποίησεν εἶπαν". Spectat Procopius dubio procul I Mos. 1, ubi in lectoris oculos incurrit Hebr., „bara", quod homines LXX voce ἐποίησεν interpretati sunt. Si audias igitur Procopium, nonnulli (qui, num ipsius Procopii tempore, an prius vita fruiti sint, incertum est,) propterea, quia Hebr. „bara" in res quoque ex aliquo ortas

---

den flüchtigen Hauch! so gut gemacht hat, als er den Himmel ausbreitet und die Erde gründet"" — das erfüllte das Herz frommer Israeliten — mit den freudigsten Gefühlen des kindlichsten Dankes und der Zuversicht auf ihn auf ewige Zeiten. Ihre Wonne war es in ihrer Erhebung des Herzens zu ihm, die ganze Schöpfung, selbst die Thiere und die leblosen Geschöpfe am Himmel und auf Erden, mit liebenden Augen als Mitgeschöpfe anzusehen, und — mit weit richtigeren Einsichten, als die Pantheisten des Heidenthums! — die Spuren der Größe und Güte ihres gemeinschaftlichen Schöpfers allenthalben zu erblicken und mit entzücktem Munde zu preisen. „Die Himmel erzählen die Ehre Gottes (quamquam, uti scite ait Baco: non voluntatem Dei!), der weite Himmel zeigt seiner Hände Werk"" caet. Collatos vult Muellerus Psalm. XIX, CXLVIII, CIV, aliosque.

transferatur, contenderunt, Mosen (posteaquam per Aegyptios didicerit, rerum universitatem ex ὕλῃ praejacente factam), convenienter dixisse „bara". Jam sane concedendum, posse voculam Hebraeam denotare: producere aliquid ex aliquo cf. CII Psl. 19. At desunt etiam documenta, eandem aliquibus aliis Veteris Instrumenti locis non significare: creare ex nihilo. Et quum caeteri ejus Instrumenti auctores canonici unicam et potentissimam Dei voluntatem declarent universitatis rerum caussam, verisimillimum est, etiam Mosen, qui ab eodem, quo illi, Spiritu sancto, afflatus erat, initio Pentateuchi aperire: Deum sive omnipotentiam ejus *solam* esse mundi caussam. Quid vero? Faciunt pro hac sententia complures alii Geneseos loci, ut XIV; 18, 19, 20.

Sed *canonicos* Veteris Foederis libros respexisse, neutiquam satis est; necessarium esse arbitror, *apocryphos* etiam, quos vocant, adire. Is, cui debeas librum, qui inscribitur: „sapientia Salomonis", Deum cap. XI, 18 his alloquitur verbis: „ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης" κ. τ. λ. Videtur, tametsi scripta Platonica nullus legit, (id quod certe oppido dubium,) opinatus esse, Deum omnipotentem ex informi aliqua materia mundum produxisse; et istiusmodi quidem, quae in apocryphis hisce occursant, placitis falsis confirmatur Lutheri de apocryphis judicium: „Das sind Bücher, so der heiligen Schrift nicht gleichgehalten", quamquam magnus sacrorum Christianorum reformator egregie subjungit: „daß sie doch nützlich und gut

zu lesen sind". Interea haud infitior, esse *δυνατὸν*, ut statuerit libri, de quo sermo est, apocryphi scriptor, Deum prius informem materiam ex nihilo produxisse; deinde vero omnipotentem ejus manum i. e. Dei omnipotentiam ex informi ista, quam produxerit (?), materia, creasse mundum, cf. Augustinum libr. I de Genes. contr. Manich.; item David. Hollazii examen theolog. acroamatic., pag. 394, edit. V, Stockholm. et Lips.. Praeterea *δυνατὸν*, ut placitum de creatione duplici proposuerit, paganam super materia praejacente doctrinam cum religione Hebraeorum commode copulaturus. Sed „ultra fidem (in posse) nemo (hic) obligatur", quemadmodum proverbio dicitur. — Jam ad alium locum memoratu dignissimum, et qui in libr. II apocryph. Maccabb., VII, 28 obvius fiat, progrediamur necesse est. Hic celeberrima Maccabaeorum mater ad minimum natu filium 1): „*ἀξιῶ σε*, inquit, *ἀναβλέψαντα εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἰδόντα*

---

1) Quid? quod „*πανήγυρις τῶν Μακκαβαίων*" a veteribus regionum quarundam orientalium Christianis rite celebrata. „*Ὡς φαιδρὰ* (ita legitur in homilia, quam Chrysostomus „in sanctos Maccabaeos eorumque matrem" Antiochiae habuit,) *καὶ περιχαρὴς ἡμῖν ἡ πόλις, καὶ τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ λαμπροτέρα ἡ σήμερον ἡμέρα οὐ τοῦ ἡλίου φανερωτέραν ἀκτῖνα τῆς εἰωθυίας πρὸς τὴν γῆν ἀφιέντος σήμερον, ἀλλὰ τοῦ φωτὸς τῶν ἁγίων μαρτύρων ὑπὲρ ἀστραπὴν ἅπασαν τὴν πόλιν ἡμῖν καταυγάσαντος*". Immo ne occidentali quidem ecclesiae, si Durandum audias (lib. VII rational.), festum Maccabaeorum dies ignotus fuit

γνῶναι, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεός, καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος γεγένηται". Zieglerus, Profess. Rostochiens., qui conscripsit: „Eine Critik über den Artikel von der Schöpfung nach unserer gewöhnlichen Dogmatik", eandemque operi ab Henkio in vulgus emisso „Magazin für Religions-Philosophie, Exegese und Kirchengeschichte" tom. II inserendam curavit, docet ibidem pag. 96, 98: formulam „ἐξ οὐκ ὄντων ποιεῖν", populariter pronuntiatam, eo loquendi usu, qui communi vitae proprius sit, sumendam esse: „In diesem Sprachgebrauche, uti ait, heißt es (intellige τὸ aus Nichts Etwas schaffen,) aus Etwas Nichts bedeutendem Etwas Bedeutendes oder Harmonisches machen, oder auch aus noch nicht so sichtbaren Dingen Etwas sichtbar Geformtes machen. Der Grundstoff dazu ist zwar immer schon vorhanden; denn diesen kann der Mensch nicht hervorbringen; aber doch nicht so sichtbar, als jetzt in Form und Ordnung". Verum nimium redolet arbitrium interpretatio Ziegleri. Nihil ego video satis idoneae caussae, quin phrasis τὰ οὐκ ὄντα ad literam plane simpliciterque accipiatur de iis, quae revera non sunt, praesertim quum ad liquidum evinci nequeat, phrasin hoc ipso sensu in ore vulgarium hominum *Judaorum numquam* repertam esse. Hinc lubenter acquiescimus in vulgata, quam vocant, loci versione: „Ex nihilo Deus fecit ea" caet., neque vero offendit idea in Hebraica, cui de omnipotentia Dei persuasum esset, femina.

Quodsi Münterus libro a nobis frequenter citato docet: „Diese Lehre (supple: de mundo ex ni-

hilo creato) hatten die Juden sich schon nach der Babylonischen Gefangenschaft zu eigen gemacht. — Sie findet sich zuerst 2 Mccb. VII, 28", sententia est secundum *formam* vera, quatenus loquutio „aus Nichts" primum in libro Maccabaeor. invenitur, at, si *argumentum* sententiae respexeris, falsa; quandoquidem Vetus Testament., quotiescunque vel ante Judaeos in captivitatem Babylonicam abductos creationem universitatis rerum verbo Dei tribuit 1), neque singularem, unde Deus mundum produxerit, ὕλην commemorat, doctrinam de creatione ex nihilo haud dubie inculcat. Quantum igitur fallitur Burnetus, cui doctrinam hancce „primum invexisse videtur theologia Christiana" cf. I libr. cap. 7 „archaeol. philosoph.")!

C) de Christianis denique agamus.

Quicquid in Hebraeorum de originibus universi doctrina inerat veri, Christianae religioni, si quid ego video, immistum est. Simillima certe super hoc loco decreta in Christiana religione deprehenduntur. A Paulo IV Roman. 17 *Deus* nuncupatur „καλῶν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα". Si τὸ καλεῖν

---

1) Quod *seriora* scripta Israelitarum attinet, erudite observat Muellerus, quem laudavi pluries: „das weise Buch Kosri macht den Glauben an einen freithätigen Gott im Gegensatz einer fatalen Nothwendigkeit zum unterscheidenden Grundsatz des Judenthumes". Inspice pag. 429 egregiae scriptionis: „Philosophische Aufsätze".

ad analogiam Hebr. „kara" (XLI Jes, 4), efficiendi sensu capitur, (qui in hoc quidem loco procul dubio verosimillimus), Deus proponitur ea, quae non sunt, sic efficiens, ut (si cum Scholasticis loqui fas est,) tanquam entia appareant. Hac ratione describit apostolus paganorum verbis iis pariter atque proxime antegressis, quibus Deus mortuos in vitam restituere traditur, Dei omnipotentiam, quam respiciens Abrahamus fidem promisso Jovae praebuerit: videlicet Abrahamum multarum gentium patrem futurum 1). Si spectes ad locum XI Hebr. 3, super quo adeo multa per seriem saeculorum Christianorum pronuntiata 2), epistolae auctor apostolicus — „τίς ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν, Θεὸς οἶδεν", uti et ingeniose et

---

1) Haud fugit me, nonnullos interpretes, velut Whitbyum, dicendi formulam „τὰ μὴ ὄντα" ad solos paganos restringere. Aperit Origenes, eum, qui procul sit a Deo, ut paganos cognitionem veritatis nondum consequutos, dici: nihil esse. Jam equidem lubenter profiteor, ethnicos, dum in Jesum tanquam Christum crederent, Abrahami filios κατὰ πνεῦμα evasisse. At particula „τὰ μὴ ὄντα" ita generali habitu est, ut nolim ego cum Whitbyo sensu tam arcto ad arbitrium accipere, praesertim nexu orationis haudquaquam cogente. Contendas cum voculis Pauli haecce: „τὰ μὴ ὄντα ἐκάλεσεν εἰς τὸ εἶναι", in quae apud Philonem pag. 728 „de creat. princip." incidas.

2) Apud W. van Boekeren, Groningae versantem, venennt dissertationes theologicae et literariae rariores, quas inter continetur: „J. C. Muhrbeck de creatione mundi ex nihilo ex sola revelatione divina cognoscenda, Hebr. XI, 3", Gryphisv. ann. 1778.

religiose Origenes 1) — lectores docet: „dum fidem habeamus 2) (i. e. dum persuasum nobis sit de veritate rerum, quae oculis corporalibus haud conspiciuntur,) cognoscimus 3), universum 4) verbo

---

1) Beza, dignissimus profecto Calvino discipulus, in iis, quae enarrationi epistolae praemisit, eximie: „Quid attinet de scriptoris nomine contendere, quod scriptor ipse celatum voluit? Sufficiat hoc nosse, *vere esse dictatam a Spiritu sancto*".

2) *Πίστει*, quod v. 3 obvium fit, a Storrio in libro praeclaro: „Pauli Brief an die Hebräer, erläutert", edit. Tubing. ann. 1809, recte accipitur pro *ἐν πίστει*. Versu 1 optime definitur *πίστις*: „*πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων*". De hoc versu Chrysostomus non male: „*ἡ πίστις τοίνυν ἐστὶν ὄψις τῶν ἀδήλων*, *φησι* (scil. epistolae auctor,) *καὶ εἰς τὴν αὐτὴν τοῖς ὁρωμένοις φέρει πληροφορίαν τὰ μὴ ὁρώμενα*". Venit praeterea in mentem magnae alicujus vocis, quam literis ad Philipp. Melanthonem datis, misit Lutherus: „fidem esse eum locum, ubi stent res omnes, quas neque videas, neque intelligas". Sane populariter, sed vere simul dictum.

3) Quam quaeso profunde Hamannus contendit haec: „Ohne Glauben können wir selbst die Schöpfung und die Natur nicht verstehen: Daher die Bemühungen, Gottes Wort und Willen zu entfernen, das Daseyn durch Hypothesen und wahrscheinliche Fälle zu erklären, und die vielen Zweifel, die man gegen Moses Erzählung erhoben hat"; cf. librum nulli non theologo legendum: „Biblische Betrachtungen eines Christen", in tom. I der „Schriften Hamanns", quas Frideric. Rothius foras dedit, inveniundas.

4) Vocabulum *αἰὼν* non de tempore tantum usurpatur (exstat apud Hesychium: „*αἰὼν ὁ τῆς ζωῆς χρόνος*", cf. IV Homer. 478; I Luc. evang. 70, al.), verum de re-

hoc est jussu Numinis supremi constructum 1), ita ut, quaecunque adspiciuntur (= universus mundus visibilis) non sint facta ex iis, quae jam aspicerentur, i. e. haud exstiterint de materia quadam invisibili et eadem praejacente. Fateor, scriptorem divinum non disertis quidem verbis declarare, mun-

---

bus etiam, tempori quasi inhaerentibus, res dico et ortas et interituras, ut κόσμον. Quippe ita saepenumero occurrit vocula apud Paulum, ut II Timoth. 4, 10; I Corinth. 1, 20; 2, 6; II Corinth. 4, 4. Mundus autem, quum ab Hebraeis quoque in imum mundum (i. e. terram), medium (i. e. aerem), supremum (i. e. caelum) dividatur, iisque singulis mundis significandis Hebr. olam adhibeatur (compara pag. 1620 celeberrimi lexici Buxtorfian.,) mirandum non venit, sicubi in Nov. Testam, velut XI Hebr. 3; I, 2 mundus omnis verbulo αἰῶνες exprimitur. Quid? Sunt auctores Hebraici, qui loquutione „rabh olamim" summum Numen tanquam rerum universitatis dominum velint designatum, cf. excelsam phrasin Paulinam I Timoth. 1, 17: „βασιλεὺς τῶν αἰώνων". Quod reliquum est, cap. II „philologiae sacrae", a Vorstio confectae, vox αἰὼν bene satis tractata.

1) In originali, quem fere vocant, textu legitur „κατηρτίσθαι τῷ ῥήματι τοῦ Θεοῦ". Potest verbum per se et ex se significare: mundum in partibus apte dispositum esse atque in concinnum ordinem redactum, quomodo revera non nemo recentioribus exposuit temporibus. Verum enim vero ea, quae mihi praeplacuit, explanatio cum iis, quae in v. 3 consequuntur, haud dubie melius cohaeret. Neque vero usus loquendi explanationi refragatur, scribente nimirum Hesychio: „κατηρτίσω ἐποίησας" (Hebr. asah), item „καταρτίσαι

dum, qui appareat 1), ex nihilo esse creatum 2). Verum tamen dum id, quod constructus est, soli mandato Dei potenti tribuit 3), aseitatem, ut quodam

---

κατασκευάσαι"; insuper legas X Hebr. 5; XVI Matth. 16. De caetero fieri saltem potuit, ut phrasi ῥήματι τοῦ Θεοῦ ad Hebr. „wajjomer" (I Genes, 3, 6, 9 al.) alludatur.

1) Zieglerus loc. cit. in nota formulam τὰ βλεπόμενα censet esse idem cum formulis τὰ ὄντα vel τὸ ὄν, id quod satis probabile, dummodo τὰ ὄντα aut τὸ ὄν mundus non invisibilis intelligatur.

2) Juxta interpretationem nostram vocula μὴ ad γεγονέναι referenda. Contra Athanasio in scripto „de decretis synodi Nicaenae", Desiderio Erasmo, Lucae Osiandro pag. 570 exercitation. sacrar., Heinrichsio praeplacuit, τὸ μὴ trahere ad particip. φαινομένων, ita ut sumatur transpositio, quomodo jam vetus versio vulgata habet: „ut ex invisibilibus (alii citra haesitationem vertunt: „„ex nihilo"") fierent visibilia". At nequaquam opus est transpositione, quin ista construendi ratio est violenta. Nihilo tamen secius, sicuti cum vero nonnumquam cohaeret error, sic Osiandri ad XI Hebr. 3 observatio rejicienda non est: „etsi humano ingenio absurdum videtur, mundum esse ex nihilo creatum, tamen fides eum honorem habet Deo, ut ipsi credat".

3) Contra exstat apud Ciceronem lib. III de natur. Deor.: „Non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam, sed habere et habuisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, quum quid aedificaturus, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quae sit parata; fictorque item e cera, sic isti providentiae divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam. Quodsi non est a Deo materia facta; ne

scholasticorum vocabulo utar, Deo in creando mundo servatam vult. „Πάντα εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ“! hoc urget religio Christiana continenter, inspice 1 Corinth. 10, 31; 8, 6, al. Creatio mundi ex nihilo a *sententia* in XI Hebr. 3 continetur. Et hoc ipsum annon modesto Christiano sufficit? — Quodsi mundus „propter Dei voluntatem“, ceu habes Apocal. IV, 11, productus esse dicitur, ac rursus Filius Dei aliquoties sistitur is, per quem universum exstiterit (vide evang. Joann. I, 2, 10; I Coloss. 16 1); I Corinth. 8. 16) noli praepropere opinari, sacram Scripturam hoc in genere secum pugnare, quippe quum varia ejus effata commodissime queant hoc modo convenire: mundum a Deo Patre juxta benignissimum, quod ceperit, decretum conditum quidem esse, at per

---

terra quidem, et aqua, et aer, et ignis a Deo factus est“. Obvertendum est dicto, (quod Lactantius lib. II cap. 9 servavit nobis feliciter): Providentiam divinam esse eandem omnipotentem, unde non patet, quidhi materiam mundanam efficere potuerit. Ad hoc: providentiam Dei cum fabro aut fictore humano neutiquam esse comparandam, quum illa, si quid factura sit, nihil materiali egeat, hi contra, ut facturi, tot tantisque rebus praejacentibus. Haec nimirum genuina, quae pectoribus humanis insita est, Dei conscientia de providentia ejus nos edocet. Et confirmat Scriptura sacra plus vice simplici.

1) Cf. Isagogen in epist. ad Coloss. saepius citatam, pag. 289—299.

Filium Dei 1). Bene docet Hahnius: 2) „Daß der absolut Unsichtbare und Unerreichbare nach den Offenbarungen des Neuen Testam. sein Daseyn, seine Herrlichkeit und Wirksamkeit von Ewigkeit her, durch den Sohn, sein vollkommenes Ebenbild, offenbaret". (Memineris ἀναλογίας in theosophis orientalibus obvias). Quin nonne recte satis apud veteres invenitur dogmaticos: „opera Dei ad extra sunt tribus personis communia" 3)?

Apostolis, quorum locos, huc pertinentes, hactenus

---

1) Legitur I Hebr. 2: „δι' οὗ (scil. υἱοῦ) καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν" Prolata est a Griesbachio (cf. Nov. Testam. a viro eruditissimo iterum editum ad eum, quem modo adduxi, locum) conjectura, esse pro „δι' οὗ" scribendum „διότι". Sed conjecturae quominus inconsiderate suffragemur, impedit codicum, versionum antiquarum et patrum ecclesiae, in quibus δι' οὗ deprehenditur, consensio non aspernanda. Item facit pro lectione receptâ dogmatice Paulina, in qua scriptor epistolae ad Hebr. acquiescit. — Augustinus, (etiamsi persuasum habet, non quidquam verbi Divini ((sive Filii Dei)) cedere atque succedere, quoniam vere immortale sit), contendit, non *sempiterne* fieri omnia, quae Deus *dicendo* faciat, immo, quemadmodum esse incipiant, sic esse desinere. Evolvas libr. XI confession., cap. 6.

2) Legas pag. 283 des „Lehrbuches" caet.

3) Basilius is, qui non immerito vocatur magnus, satis credo definit subtiliter: Patrem esse caussam mundi „προκαταρκτικὴν", in Filio contra, — (quem Philo „τὸν περιφανέστατον καὶ τηλαυγέστατον τοῦ Θεοῦ λόγον" appellat, libr. I legis allegor.) caussam deprehendit „δημιουργικήν". Perlustres Basilii de Spiritu sancto homil.

respeximus, adjungere lubet eos ecclesiae doctores, qui honorificum *patrum apostolicorum* nomen propterea sortiti sunt, quia ab apostolis in veritatibus religionis Christianae instituti essent, quamquam mihi certe haud dubium est, quin liber librorum i. e. Novi Testamenti scripta, quae altiores in animis melioris notae radices figunt, quam alia ulla scriptio, eximiam aliquam vim in patres apostolicos exseruerint. Inter eos Hermas quidam plerumque nominatur, qui, quemadmodum est incertum, an a Paulo XVI Roman. 14 salutetur, sic certo conscripsit librum, qui, quia aliquis in eo angelus sub figura pastoris introducitur, pastor (Graece ὁ ποιμὴν,) fere inscribitur. Habetur libr. II, mandat. 1. pulchra haec vox: 1) „πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς, τὰ πάντα κτίσας καὶ ποιήσας ἐκ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι“. Hermas, quem ingenium ac subtilitas cogitandi defecerunt, (id quod ex ipso pastore, ut opinor, apparere potest,) quantum quaeso in magna hacce et sublimi de creatione mundi sententia 2) Platoni Aristotelique, quos non nemo summos

---

1) Cogitantibus nobis, auctorem tom. I patrum apostolicor. a Cotelerio editor. pag. 118 talia facere verba: „apostoli et doctores, qui praedicaverunt nomen Filii Dei, quum, habentes fidem ejus et potestatem, defuncti essent“ caet., clarum erit, Hermam tum demum, ubi apostoli naturae debitum persolverant, pastorem literis mandasse.

2) Muellerus laudabiliter pag. 255 „der Vorlesungen vom Glauben“ reliq.: „Ohne jene Grundlehre, daß ein all-

in philosophia viros dixit, praestat! Utrumque si tantis honoribus afficias, ego non video, quamobrem pater, de quo loquimur, apostolicus totus a nonnullis contemnatur 1). Neque vero ei iccirco irascendum, quia particulam ἐκ μὴ ὄντος in theologia adhibuerit. Non nescius sum, Nathan. Morum, Lipsiensem olim theolog. Prof., formulam ex nihilo parum probare, utpote quae incommoda sit et ambigua, tanquam illud *nihilum sit aliquid*, ex quo aliud (velut mundus,) factum sit. At vero τὸ nihilum positivam, uti vulgo ajunt, nationem per sese adeo non includit, ut a systemate demum quodam philosophico plerumque acceperit. Vox ex sese perquam bona est ac definita, dum negativi, quod vocant, generis est. Quippe sicuti illae formulae dialecticae, quibus excelsa super sancta Trinitate doctrina in ecclesia Christianorum proposita est, „ad rationem pertinent, magis removendi a simplicitate Deitatis, quae ibi non sunt, quam ponendi aliqua“ (verba sunt magistri sententiarum, Petrum dico Lombardum,) ita id nihi-

---

mächtiges, weises und gütiges Wesen Himmel und Erde sammt allem, was darin ist, erschaffen habe und erhalte, läßt sich keine Herrschaft und keine Freithätigkeit Gottes, ohne den Glauben an diese keine wahre Religiosität, d. i. weder Liebe, noch Vertrauen, noch kindlicher Gehorsam gegen Gott denken; mit denselben kommt Licht, Leben und Liebe in die Religion". Hermas quin cum iis lubentissime consensurus fuisset, dubium non est.

1) Hoc Salom. Semlero commissum. Quid? quod ne Tertullianus quidem (cap. X libr. de pudicitia) de

lum denotat: „ἀφαίρεσιν — omnis entitatis“ (scholasticam phrasin audias!), i. e. aperit, Deum neque ex sua ipsius natura, neque de sylva quadam rerum aeterna seu ὕλῃ mundum condidisse.

Ad *patres ecclesiasticos* jam progressuri, incidimus in Justinum eum, quem constat violentam mortem propter divinam, cui toto pectore addictus erat, rem Christianam expertum. Si defendit, „πάντα — δημιουργῆσαι αὐτὸν (subaudias Deum,) ἐξ ἀμόρφου ὕλης“, (videsis prioris apologiae § 10, pag. 17), elucet inde, Deum de sententia Justini rerum universitatem fecisse ex materia formae experte 1). Verum enimvero potuitne fieri, ut eandem materiam neque aeternam, et a summo Numine aliquando (scilicet tanquam χάος!) productam esse existimaret? Quae dum sumas, profecto mirum non erit, quod Tatianus Assyrius, quem scimus disciplina Justini usum esse et orationem

---

scriptura: pastor, honorifice adeo judicavit. Altera ex parte Origenes plura, quam fas est, contendit, dum ad XVI Rom. 4 scripturam hancce putat „divinitus inspiratam“. Rectissime Hieronymus cap. II aestumatissimi de vir. illustr. operis librum monet esse utilem, quatenus, uti arbitror, virtutem Christianam, Dei timorem, iisque ipsis genuinam animi salutem promovere posset. Unde non offendimur dicto Eusebii III libr. hist. eccles. 3: „ἤδη καὶ ἐν ἐκκλησίαις ἴσμεν αὐτὸ δεδημοσιευμένον, καὶ τῶν παλαιοτάτων δὲ συγγραφέων κεχρημένους τινὰς αὐτῷ κατείληφα“.

1) Cf. secundam quoque, quam vocant, apologiam, § 6, pag. 10.

aliquam ad Graecos scripsisse, haec memoratu certe digna proponit: „ὁ λογος ἐκ ἀρχῃ γεννηθεις ἀντ' ἐγεννησε την καθ' ἡμας ποιησιν (i. e. mundum hunc nostrum productum), αὐτος ἑαυτῳ την ὑλην δημιουργησας"; paucisque interpositis: „ουτε γαρ ἀναρχος ἡ ὑλη καθαπερ ὁ Θεος, — γεννητη δε και οὐχ ὑπο του ἀλλου γεγονυια, μονου δε ὑπο του παντων δημιουργου προβεβλημενη" 1). Tatianus ergo in iis doctoribus ecclesiasticis reponi debet, quibus placuit, duplicem creationem ponere: priorem dico eam, in qua materia informis qua talis divinitus facta, alterá autem, in qua mundus ex informi materia per Deum est formatus. Si Muenterus tom. II, part. 1, pag. 86, 87 „des Handbuches der Dogmengeschichte" de patribus quibusdam ait: „Sie scheinen besonders, um Plato (abs quo memento ὕλην τινὰ προϋπάρχουσαν statutam,) mit der christlichen Lehre zu vereinigen, an eine doppelte Schöpfung gedacht zu haben", δυνατὸν, hanc ipsam fuisse et Tatiani rationem, ut qui videatur Platonicam quoque philosophiam aliquo modo cognitam habuisse, cfr. orat. ad Graecos. Item fertur ab Eusebio IV libr. hist. eccles. cap. 16: „τὸν πρῶτον αὐτοῦ βίον σοφιστεύσας ἐν τοῖς Ἑλλήνων μαθήμασι", i. e. per vitam priorem (neque vero Christianam,) rhetoricae doctor fuisse, et in discipli-

---

1) Editio Tatiani, ex qua haec petii, accentibus destituta est.

nis paganorum versatus. Porro Antiochenus Theophilus, Irenaeus Lugdunensis, Tertullianus loco de rerum universitate ex nihilo divinitus producta inhaeserunt lubentissime 1), adeo ut neminem genui-

---

1) Veluti deprehenditur libr. I, cap. 6, 7 operis ad Autolyc., ubi doctrina de Deo sive theologia sensu verbi artiori explicatur, haec vox: „τα παντα ἐποιησεν ὁ Θεος ἐξ οὐκ ὀντων εἰς το εἰναι, ἱνα δια των ἐργων γινωσκηται και νοηθῃ το μεγεθος αὐτου". Irenaeus lib. II contr. haeres. cap. 10: „attribuere, inquit, substantiam eorum, quae facta sunt, virtuti et voluntati ejus, qui est omnium Deus, et credibile, et acceptabile, et constans; et in hoc bene dicetur: „„quoniam (i. e. ὅτι, particula orationem introducens, instar Hebr. chi,) quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum"" (nisi quod etiam apud Deum sunt impossibilia, velut peccatum, mendacium, miseria). Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti. Deus autem quam homines — melior eo, quod materiam fabricationis suae, quum ante non esset, ipse adinvenit". (i. e. Deus materiam operi suo perficiendo sive formando mundo ipse creavit). Quod ipsum praeterea adducit Irenaeus cap. 28, utpote probaturus, se non peccare, dum de substantia materiae dicat. Ad Tertullianum quod attinet, non scriptionem advs. Hermg. in medium afferre placet, quippe quam toties jam respexerimus; sed egregium, qui principio cap. XVII pulcherrimi apologetici obvius est, locum consideremus: „Quod colimus (scil. Christiani,) Deus unus est (cfr. VI Deuter. 4), qui totam molem istam (subaudi: hujusce mundi) cum omni instrumento (i. e. apparatu) elementorum, corporum, spirituum verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute (i. e. διὰ δυνάμεως),

num vellent esse catholicae ecclesiae socium, qui eo audaciae progressus erat, ut dogma, cujus mentio facta est, rejicerent. Sane obscurus nobis est *multarum* Dei actionum modus, (neque enim id in *unamquamque* efficacitatem Dei cadit, quemadmodum Rheinhardus pag. 171 lectionum supra laudatar. citra valida quaepiam argumenta contendit). Hoc rerum finitarum, quod cernimus, σύστημα, qua ratione a Numine supremo productum de nihilo sit, mente nostra nullo modo assequi possemus, nisi in religione Christiana revelatum esset, mundum per λόγον τοῦ Θεοῦ esse productum. Vox magni Hippocratis: „φύσις ἐξαρκέει πάντάπασι" neutiquam omni respectu vera. Jam vero exorti sunt intra ecclesiam Christianam, qui spreto illo de originibus mundi

---

qua potuit, de nihilo expressit (i. e. eruit) in ornamentum majestatis suae". Asserit ecclesiae doctor, Deum non „ad ipsam *mundi* majestatem, ex tanto ordine et ornatu procedentem", quomodo Moreau temere opinatus est, sed hoc potius consilio creasse mundum, ut is majestatem *divini sui auctoris* ostenderet, ad eamque celebrandam intelligentes naturas propelleret. Caeterum in iis, quae Tertullianus de efficacitatibus verbi sive rationis proposuit, nescio an plus viderit, quam Rheinhardus, qui pag. 172 operis citat. docet: „Worinnen die Wirksamkeit des Sohnes bei Hervorbringung der Welt bestanden habe, können wir auch nicht weiter erklären, sondern müssen bloß bei der allgemeinen Behauptung stehen bleiben, daß der Sohn vorzüglichen Antheil an diesem großen Werke genommen habe".

praecepto simplicissimo 1), tales opiniones, per quas creationem mundi perfectius intellexisse sibi viderentur, effutirent, nisi quod, si in argumentum opinionum accuratius paulo inquiras, vel ab ipsa antiquitate pagana dudum pronuntiatae esse deprehendentur. Hi quidem haeretici moderante Deo hoc effecerunt boni, ut patres ecclesiastici ad dogma super ortu universi enucleandum ac prolixius clariusque exponendum sese accingerent, quemadmodum omnino αἱρέσεις ad excolendam theologiam Christianam fecere. Quid? nonne etiam peccata in gloriam Dei ad ultimum cedunt, quatenus Deus eos, qui peccata patraverunt, in homines convertit sanctos? Sed, quomodo nequaquam peccata ideo committenda sunt, ut Deus iis illustretur (cf. VI Rom. 1 sqq.), ita ne perversae quidem opiniones proponendae, ut divina hisce promoveatur veritas. — Quicunque historiae ecclesiasticae penitius callens est, ex facili suspicabitur, me in hoc sententiarum nexu praecipue eos habere ob oculos, qui ἀπὸ „τῆς ψευδωνύμου γνώσεως“, qua perperam gloriabantur, — particula ex I Timoth. 6, 20 petita est, — nomen Gnosticorum tulerant. Alii quidem contenderunt, ex ipsa natura divina, ἐκ μονάδος — quasi vero ea ma-

---

1) Goethius haud perperam: „Der Geist des Widerspruchs und die Lust zum Paradoxen steckt in allen“: nisi quod hoc „allen“ urgendum non est. At, ceu eximie monet Bretschneiderus: „Die Wahrheit festhalten, sie lehren, vertheidigen, das sey der Wahlspruch aller redlichen Christen“!

teria quaedam sit! — promanasse universum 1), et genus aliquod pantheismi, quem vocant, vehementer exitiosi induxerunt. Prae caeteris heic afferantur Carpocrates et, qui ejus in docendo ac vivendo vestigiis cum suo ipsorum damno institerunt, Carpocrateni sive Carpocratiani, Graece Καρποκράσιοι 2). Alii contra, ut Valentinus ejusque sectatores, ex philosophia Platonica hauserunt locum de materia non orta, unde mundum defenderunt a tali spiritu factum, qui eodem summo Deo inferior, per am-

---

1) Reperias in celeberrimo libro Jamblichi de mysteriis Aegyptiorum VIII section., 159 cap., sententiam non dissimilem: „ὕλην — παρήγαγεν ὁ Θεὸς ἀπὸ τῆς οὐσιότητος ὑποσχισθείσης ὑλότητος". Οὐσιώτης, si barbare loqui licet, „essentialitas", ad divinam naturam pertinet, ὑλότης haud aliud videtur esse, nisi ὕλη. Nascitur inde hic sensus: materiam effecit Deus eo, quod natura materialis per Deum ab sua ipsius natura discissa est. Hinc in sequentibus nominat Jamblichus mundum ὑλότητα ζωτικὴν" (vitalem).

2) Quorum interest, Carpocratem, Epiphanem filium et asseclas, qui pessimis omnes moribus fuisse dicuntur, diligentius cognitos habere, ii adeant oportet Irenaeum I, 24, Alex. Clementem στρωμάτ. III pag. 184, Tertullianum de anima cap. XXIII, Augustinum cap. VII de haeret., Theodoret. in fabul. haeret. lib. I, cap. 5. Ne praetermittantur tamen, quae Eusebius in hist. ecclesiast. IV, 7, Philastrius de haeresib. cap. 35, postremo Epiphanius, episcopus Salaminius, quem nescio an inquisitorem haereticae pravitatis merito dixerim, in haeresib. XXIV, XXVII de secta, quam tractamus, notavere.

plam multitudinem αἰώνων cum Deo supremo cohaereret, τὸν δημιουργὸν dico, cf. pag. 80 hujus libri. Exstat dialogus quidam „de recta in Deum fide", in quo Valentinus sistitur singulares nonnullas voces mittens. Observat Henkius, tom. I der „Allgem. Geschichte der christl. Kirche", pag. 102, edit. V. „daß hier die Schöpfung Gott selbst beigelegt zu werden scheine". At quoniam inter viros, historiam dogmatum Christianorum probe tenentes, in confesso est, vel demiurgum in systemate Valentini honorificam appellationem „Dei" interdum accepisse, annon demiurgus ipse ut *divinus* conditor eorum, quae exstiterunt, a Valentino potest esse repraesentatus? Qua in conjectura si acquiescere non sustineas, possis cum Gieselero in den „Theolog. Studien und Critiken" 1), quas Ullmannus et Umbritius foras emittunt, statuere, dialogum post concilium demum Nicaenum primum esse exaratum, hinc non primitivam, sed deformatam (meliusve potius formatam) Valentini super creatione universi opinionem complecti; nisi quod scriptionem dialogi in tempus ita serum incidere, nondum satis probatum 2).

---

1) Vide Jahrgang 1830, 2. Heft, pag. 380.

2) Francisc. Buddeus, inclytus olim Prof. Jenensis, conscripsit „de haeresi Valentiniana" dissertationem, in qua multa, neque vero inutilia et inerudita, invenias. Adjuncta est „introductioni viri ad historiam philo-

Clemens quidem Alexandrin. Gnosticis similiter 1) attribuit divino hominum Servatori tale corpus, cui, ut in vita physica maneret, vulgaribus alimentis opus non esset, quodque divina quadam vi contineretur, et iccirco duntaxat ederet, ne, qui consuetudinem cum Servatore his in terris habebant, iis in mentem veniret opinionis, esse corpus Christi merum φάντασμα. Sed Clementem, qui „γνῶσιν ἀληθινὴν" i. e. Gnosticis oppositam, docere prae se ferebat, tantum cum Gnosticis fecisse, ut materiam non creatam assereret, nondum certum esse duco et exploratum. Sane non latet me, insignem ecclesiae doctorem in libro, qui inscribitur: „ὑποτυπώσεις", „ὕλην ἄχρονον" posuisse, quippe quod ex CIX codice Photii satis emergat. Verum rereputantibus nobis, Clemente quidem judice Deum ipsissima sua voluntate opera perficere, ita ut voluntatem seu decretum Dei τὸ εἶναι (barbare dicunt; existentia) illico sequatur (inspice προτρεπτικ. cap. 4, pag. 55), nonne potest Clemens adhibita phrasi ὕλη ἄχρονος hoc sibi voluisse, materiam Deo

---

sophiae Ebraeor.", ed. Hal. ann. 1726. Cf. etiam Walchii „Entwurf einer Ketzerhistorie", tom. I.

1) Si hunc locum Clementis contemplere: „γενεαν — και φθοραν την ἐν κτισει προηγουμενος γενεσθαι, ἀναγκη μεχρι παντελους διακρισεως και ἀποκαταστασεως ἐκλογης, δι' ἡν και αἱ ἐν τῳ κοσμῳ συμπεφυρμεναι οὐσιαι τῃ οἰκειοτητι προσνεμονται" (vide στρωματ. lib. III), non neges, vel loquu- Gnosticorum patri ecclesiastico adamatas fuisse.

volente non in tempore 1), sed in aeternitate ipsa esse productam 2)? Legitur autem eo, quem modo allegavi, loco: unicum Deum, quum veri nominis Deus sit, voluntate sua creasse mundum, videlicet e materia sive „ἐκ τῆς παλαιᾶς ἀταξίας“ (occurrit loquutio in libr. VI στρωμτ, pag. 813), ex antiquo inordinatoque statu. — Clemens nescio an ea de caussa adscripserit Deo tum materiae, tum „πολλῶν πρὸ του Ἀδάμ κόσμων“ 3) (cf. Photii bibliothecam in CIX cod.,) tum nostri mundi creationem, scilicet ut

---

1) Optime dicas: mundum esse cum tempore productum. Ita Augustinus quoque lib. XI oper. de civitate Dei 6.

2) Docet Sartorius pag. 35 scripti, supra excitati: „Die Bibel leidet nicht die Annahme einer ewigen und nothwendigen Schöpfung, und die Kirche hat ihr stets widersprochen, weil das Gefühl der Demuth, welches nicht bloß dem Sünder gegen den Allerheiligsten, sondern auch dem Geschöpf gegen den Schöpfer ziemt, durch den Gedanken verunreinigt wird, daß Gott der Schöpfung nicht ermangeln könne, sondern, wenn auch die einzelnen Geschöpfe stets wechselten, doch ewig das Ganze als Gegenstand seiner Macht und Liebe um sich haben müsse". Libenter concedo, permultos ecclesiae doctores placito de creatione aeterna adversatos; verum idem in Clementem quadrare, dubium est.

3) „In monumentis Alexandrini Clementis scita Origenis continentur σπρματικῶς“, quae sententia, ea tempestate, qua primam disputationem theologicam habui, a me defensa, haud paucis confirmari potest documentis. Adamantinus verbi caussa pariter atque magister voluit, (evolve libr. III de princip. cap. 5) innumerabiles mundos ante nostrum exstitisse, etiamsi ea ratio nullo sacrarum Literarum testimonio stabilitur. Si ait

ne Deus unquam quievisse perhiberetur!!! Deprehenditur libr. VI στρωμάτ.. (Θεὸς) „ἀγαθὸς ὢν, εἰ παύσεται! ποτε ἀγαθοέργων, καὶ τοῦ Θεὸς εἶναι παύσεται“. Verum enim vero potuitne quaeso Deus, vel antequam aliquid extra se productum esset, efficax esse eo, quod cogitabat, excelsissima capiebat consilia, immo Filium genuit, in eodemque, tanquam consummata sui imagine, se revelavit? (cf. isagogen in epist. ad Coloss. pag. 283) — Sed non Clementi, verum Hermogeni, Clementis fere coaevo, nota αἱρέσεως plerumque inusta est. Si audias Guerikium, virum perquam diligentem, in libro: „De Scholae Alexandr. catecheticae theologia“, pag. 385, utramque et Christianam et Gnosticam (subaudias quaeso: de creatione doctrinam) rejecit Hermoge-

---

Lomlerus: „Freiheit muß im Reiche der Geister herrschen, wie der blinde Gehorsam im Reiche der Natur“, probe expendendum est, eam demum esse genuinam in theologia libertatem, quae a commentis humanis remota, cum verbo Dei, nunquam fallente, consentiat. At Origenes opinionem suam ex I ecclesiast. 9 perperam derivat! Pariter ea denique in rebus moralibus libertas est, quae, a peccatis sejuncta, cum sanctissima lege divina conspiret. Summa libertas summum servitium! „De libertatis Christianae notione, in Nov. Testam. libris obvia“, commentationem exegeticam, neque aspernandam illam, edidit Erlerus, diac. aedis parochial. Soraviae, ann. 1830. Libertas est illa vox, super cujus notione maxima opinionum diversitas (cum multo detrimento generis humani,) obtinet.

nes 1). Vocem Halensis Professoris vera aliqua fundere, satis patebit ex iis, quae in libro nostro fusius disputata sunt. Attamen noli hoc loco oblivisci: pictorem doctrinam de *aeterna* materia, (quam ne Guerikius quidem Gnosticis abjudicabit,) et quae cum ea cohaerent, studiosissime tuitum esse. Et haec quidem hactenus!

---

1) Hald pag. 9 libelli, quem supra excitavi: „Hermogenes — Gnosticis falso adnumeratus est". Sententia est partim vera, partim falsa.

APPENDIX ALTERA.



Num Hermiae, cujus Philastrius mentionem habuit, discipuli Hermogene praeceptore usi sint?

„Scopus noster est, cogitata propria — simpliciter ac sine fuco sinceris mentibus proponere, plenissimam omnibus relinquendo libertatem, ea vel amplectendi, vel dimittendi". Ita Poiretius.

Sententiae meae superiori, ex qua Hermias et Hermogenes accuratissime discernendi sunt, et in qua Francisc. Walchius pag. 385 „des Entwurfs" caet. minime conquiescit, patrocinatur quodammodo id, quod apud Philastrium cap. LVI de discipulis Hermiae scriptum exstat. Fatetur quidem Walchius pag. 386: „Es läßt sich wegen gänzlichen Mangels anderer und genauerer Nachrichten (nimirum de argumento hujusce capitis,) nicht bestimmen, wie weit dieser Bericht (i. e. argumentum, quod modo dixi,) gegründet sey". Sed de argumento quo melius ac rectius queamus judicare, curate perlustremus:

„Alii sunt discipuli horum (i. e. Seleuci atque Hermiae, aperiente capite LV), qui Proclianitae appellantur et Hermiotitae 1). Addunt etiam diversos errores, docentes, quod in Ezechiele scriptum est de quattuor animalibus, quod leonem regem esse Parthorum 2), vitulum Aegyptiorum, aqui-

---

1) Praetulit Fabricius, ὁ πολυμαθέστατος, lectionem „Hermioritae", siquidem Philastrius hac potissimum terminatione delectetur, ut in „Musaritis, Puteoritis"; verum lectionem, viro illi Hamburgensi diligentissimo probatam, equidem inconsideratius non probaverim, nisi codicibus ei suffragantibus. Quod Hermiotitae, (qui est singularis duntaxat nominis „Hermiani" exprimendi modus,) etiam „Proclianitae" appellati sunt, mirandum mea opinione non veniet, si sumptum fuerit, Hermiotitas tum Hermiae, tum Proclino, qui decreta Hermiae constanter profiteretur ac defenderet, vehementer deditos fuisse. Saltem reperias apud Augustinum, cap. LX libr. de haeres. 6 id effatum: „Proclianitae sequuti sunt istos" (i. e. Seleucum et Hermiam).

2) Videtur Fabricio propterea, quia Parthi Aegyptiis praemittantur (citat Fabricius Ammianum Marcellin. XVIII, 4,), nomen Parthorum pro Assyriis positum esse. At vero Hermiotitae, si ipso saeculo post Christ. natum secundo, quo regnum Parthorum adhuc florebat, vixerunt, leonem, cap. I Ezechiel. v. 5 prolatum, regem Parthorum bene admodum intelligere potuere. Sin post initium saeculi tertii exstiterunt, quo Artaxerxes, patre Sassane usus, Artabanum IV Parthum imperio spoliavit, novumque condidit Persarum regnum, leonem de rege Persarum forsitan acceperunt, praesertim quum, id quod ne Fabricius quidem infitias it, a nonnullo scriptore per Parthos Per-

lam Romanorum, hominem vero piissimorum tenere similitudinem arbitrantur 1). Hi sapientiae libro

---

sae sint designati. Commemoravit Fabricius tertiam hancce explanationem, at primae tamen postposuit, licet ad summum dici possit, primam haud minoribus sustentari argumentis, quam alteram ac tertiam. Quae autem rectissima sit, penes intelligentes esto judicium!

1) Propheticae visionis interpretationem si episcopus Brixiae non *αἵρεσιν* nominavit, sed errorem, praeclare egit, utpote quae fundamentales, uti ajunt, Christianae religionis doctrinas nihil evertat. Ipsi patri arrisit plane alia, quae, utrum rem acu tetigerit, Deus is scit, ad quem Paulus saepissime provocat, cf. II Corinth. 12; 2, 3. Declarat pater videlicet cap. CXXXVI: „Quia visio est prophetarum Divino Spiritu praedicata (Philastrius nimirum etiam Joannem, *τῆς ἀποκαλύψεως* auctorem, et quidem caput ejus IV, 7, praeter Ezechielem ante oculos habet), hinc *sanctorum populorum quattuor diversae virtutes diversaque certamina* (scil. per „„quattuor animalia““) nuntiabantur adventura saeculo“, reliq. Deinceps ait explicationis gratia: „primum in patriarchis regalis auctoritas, in prophetis deinde scientiae caelestis foecunditas, in sacerdotibus labor fortis et pertinax concertatio (cum hominibus, opinor, irreligiosis, mundoque in universum,) cerneretur, in apostolis volatus sublimis in caelum et eminens dignitas monstraretur“. Heic probe observandum, credidisse Philastrium, virtutes sacerdotum per hominem, apostolorum autem per aquilam repraesentatas esse. Apostolicarum virtutum respectu Philastrio talium effatorum Pauli in mentem venit: „Nostra conversatio in caelis“ (cf. III Philipp. 20), et: „rapiemur in caelum et erimus semper cum Christo“ (I Thess. 4, 17), nisi quod prior locus cunctos Christianos genui-

utuntur Sirach illius, qui scripsit post Salomonem, id est post multa tempora, librum unum Sapientiae 1). Christum autem in carne venisse negantes,

---

nos spectat, alter solos eos, qui, redeunte ad extremum iudicium Christo Jesu, in hac vita superstites erunt. Quod reliquum est, emicat certe pietas Philastrii, dum „diversarum illarum virtutum (quas in patriarchis, prophetis, reliq. deprehendit, et ab Ezechiele indicatas vult,) caelestia merita" — ab ipso concessa putat „Domino Salvatore". Et hactenus quidem hoc historiae hermeneutices additamentum!

1) Prima ejus enuntiationis vocabula hoc pacto explanari possunt: „Hermiotitas uti illo sapientiae libro, qui originem ab eo Siracida duxerit, qui scripserit" caet.. Quippe liber Siracidae inscribitur Graece: „*ΣΟΦΙΑ (ΙΗΣΟΥ ΥΙΟΥ) ΣΕΙΡΑΧ.*" Sed ista expositione comprobata, Hermiotitae commisissent innocentes id, quod nonnulli, qui verae fidei toto pectore inhaerebant, doctores ecclesiastici, neque vituperio quopiam, quod enuntiatio Philastrii videtur redolere, reapse digni fuissent. Franc. Walchius, pag. 586 libri frequenter adducti, sic capit: „Sie hielten das Buch Sirach vor Salomons Arbeit", Fabricium, ni fallor, in hoc genere sequutus, qui in notis, enuntiationi adjunctis, docet: „Sirachidis sapientia veluti Salomone usi sunt". Verum enim vero particulâ: „veluti Salomone" in textu Philastrii minime apparente, Walchius ac Fabricius non tam efferre, quam inferre in Philastrium sensum suum videntur. Interpretatio est arbitraria! Equidem haud scio an episcopus Brixiae hoc et tale dicturus sit: „Hermiotitas priori sapientiae libro, cujus auctor Salomon rex fertur, (et quidem, si Rabb. Azarjam audias, linguâ Syriacâ, ut mitteret eum ad aliquem regem, ad fines Orientis habitantem,)

resurrectionem et judicium non credentes 1), qui in locis Galatiae commorantur, et ut vulpes latitantes

---

tanquam illius Siracidae libro uti, qui aliquem sapientiae librum revera scripserit, sed multa post Salomonem tempora, qui priorem igitur sapientiae librum, *de Philastrii quoque sententia a Salomone exaratum*, conscribere nequiverit. Et hunc ipsum errorem Hermiotitarum inter veteres quosdam Christianos non prorsus inauditum fuisse, concedet, quicunque II librum Augustiniani de doctrina Christ. operis cap. 8 inspexerit.

1) Noli opinionem hanc Hermiotitis obtrudere: „omnino Messiam in tellure haud exstitisse"; etenim loquendi formula „in carne" ita commode urgeatur licet, ut infitiati sint haeretici, Christum corpore e materia composito, infirmitatibus succumbente et mortali, quod vulgare animarum humanarum habitaculum est, instructum in mundum prodiisse. Res si sic sese habet, Hermiotitae sunt in classe Gnosticorum reponendi, qui Christo aut aethereum corpus, aut *φαντασιϰὸν* plane, quod scilicet divinam ejus naturam magis deceret, attributum vellent. Attribuisse posterius, ex eo loco concludendum est, quem jam Fabricius ex auctore Praedestinati apposite satis in medium protulit: „Dicunt Dei Filium sic paruisse (= *φαίνεσθαι*; adi sis Marc. Tullium in orat. pro Roscio comoed.,) in terris, sicut Raphaelem angelum, non carne assumpta, sed visa". Succurrit mihi ex libr. Tobiae cap. XII versus 19, ubi sistitur angelus haec bene notanda coram Tobia patre filioque proloquens: „*πάσας τὰς ἡμέρας ὠπτανόμην ἡμῖν, ϰαὶ οὐϰ ἔφαγον, οὐδ᾽ ἔπιον, ἀλλ᾽ ὅρασιν ἐθεωρεῖτε*". Quodsi Hermiotitae verum ac reale, ceu ajunt, corpus adeo parvi aestumavere, qui tandem potest offendere, quod futuram resurrectionem, in qua

plurimos depraedantur 1), sicut Salomon (haud dubie in Hebr. „„schir haschschirim““ cap. II, v. 15)

---

homines corpora quamquam sublimiora, at vera tamen, accepturi sunt, repudiavere? Quoniamque cum resurrectione, quemadmodum e verbo Dei manifestum est, extremum illud judicium arcte cohaeret, quod de viventibus adhuc in terra hominibus resuscitatisque a Deo per Christum Jesum aliquando habebitur, profecto valde consentaneum est, Hermiotitas ne id quidem judicium probasse. Philastrii vocem „judicium“ ad id trahere, quod conscientia nostra super recte maleque factis vel nunc exercet, annon propterea falsum est, quia vox vocabulo „resurrectionem“ subjuncta deprehenditur?

1) Paulus apostolus presbyteris ecclesiae imprimis Ephesinae, quos Miletum convocandos curaverat, in egregia, qua valedixit iis, oratione *προφητικῶς* aperit: „*εἰσελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου λύκοι βαρεῖς εἰς ὑμᾶς*“ (XX Act. 29). Describit autem „*ἄνδρας λαλοῦντας διεστραμμένα*“ (cf. v. 30) quasi graves lupos, nimirum propter turpem crudelitatem et inhumanam, qua asseclas Christi a Christo abstracturi sint, et sectatores ipsorum praestaturi. Inspice praeterea III Zephanj. 3. Contra Philastrius, petita a *vulpibus* similitudine, astutiam Hermiotitarum significat, in artibus istis occultis conspicuam, quibus plurimos, verae fidei addictos, ut praedam suam abduxere. Memoratur „*πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης*“ IV Ephes. 14. Vocula Philastrii „depraedari“ ego nescio an sit versio verbi *συλαγωγεῖν*, II Coloss. 8 occursantis, quod Schleusnerus in lexico s. h. v., similiterque Flattius sumunt de eo, qui „libertatem, quam Colossenses a lege Mosaica caerimoniali teneant, his per fraudem doctrinae Judaizantis erepturus sit“; quum tamen

testatus est, dicens: „„„Prendite nobis vulpes minimas, exterminantes vineam Domini Salvatoris“ “ 1).

Quodsi defendit Walchius, obtinere opinionum et actionum, quas modo perlustravimus, perfectam apud alios auctores accuratiores penuriam, in errore versatur, quandoquidem, quomodo vel ex observationibus a Fabricio libro Philastrii adspersis cognoscere potuisset, ignotus ille neque vero contemnendus vir, qui conscripsit Praedestinatum, aliqua huc spectantia literis consignavit. Adde, quod in iis, quae Philastrius super Hermiotitis prodidit memoriae, non deprehenditur quippiam, a verisimilitudine ita multum abhorrens. Nempe quaenam sunt absurda,

---

omnino nihil obstet, quominus in prima voculae significatione magis acquiescas. Denotat ex ea: facere sibi aliquem in rebus divinis servum, ita ut commentia, quae humanus super iis magister fovet, tenacissime inhaereat.

1) Inde satis perspicuum fit, Brixiae episcopum similitudinem vulpium, quae et apud Ezechiel. cap. XIII, 4 invenitur, acceptam Veteri Foederi referre. Etiamsi scriptum ex hoc Foedere a Philastrio laudatum generis ἀλληγορικοῦ totum est, — id quod nondum tamen certissime exploratum, — potest nihilo minus quaeri: utrum II Cant. Canticor. 15 apostoli falsi, quemadmodum Philastrius decernit, significentur, an vero omnia omnino mala, tum moralia illa, ut peccata, tum naturalia, veluti persequutores pagani, per quae multa pernicies sectatoribus Domini nasci queat? Namque in Veteris Testam. textu non solum vulpes *parvae*, sed vulpes etiam *in universum* inducuntur. Videtur autem pro in-

quorum humana mens, posteaquam per depravatam voluntatem obscurata erat, non fons exstiterit atque principium? Quid? quod Walchius ne demonstravit quidem, ex his, quae narraverit Philastrius, quicquam accuratum non esse 1). Nihil ego caussae videre

---

terpretatione priori biblicus dicendi usus facere; evolve XIII Ezech. 4. Quod restat, praeclare observat Polus, theologus Anglus, τὸ vulpes prendere esse hoc loco: cavere, ne detrimenta importent.

1) Est quidem apud Caveum, tom. I histor. scriptor. eccles. caet. pag. 229: „Scripsit (intell. Philastrium,) librum de haeresibus, in quo catholicae veritatis amorem ubique spirat, *judicium* vero minus accuratum saepius prodit, dum haeresibus accenset ea dogmata, quae eo nomine notari minime merebantur". Ad haec legitur lib. II cap. 1 operis a Dallaeo contexti „de usu patrum ad definienda rel. capita, quae hodie sunt controversa": „Quae ipse (suppleas Philastrium, cujus in antegressis injecta erat mentio,) non probabat, ea in haereseon censum, veluti a publica Christianorum omnium fide aliena, retulit, adeo fallaci et futili interdum judicio, ut, quae ille jugulat, ecclesiam quoque damnasse, ab omni veri specie abhorreat". Ne quid nimis! sic equidem cum antiquo Terentio acclamaverim Dallaeo! Profiteor, Philastrium non acutissimo fuisse judicio; verum probe observandum, quae in cap. LVI de haeres. accurata a nobis judicentur, ea neque Philastrii judicia, et sola placita Hermiotitarum esse. Fac, esse quendam „πάνυ σμικρὸν τὸν νοῦν", veluti eum, qui ab Caesareensi Eusebio in histor. ecclesiastic. commemoratur, Papiam Hierapolitanum, nihilo tamen secius valet, satis recte et simpliciter tradere, quae legit vel audivit. Philastrius,

mihi videor, cur episcopus Brixiae vera de Hermiotitis referre nec potuerit, nec voluerit. Quodsi

---

si plane nihili putandus esset, Augustinus, quem nemo, ut arbitror, ausit stupidum vocare, non dixisset, neque fecisset id, quod cap. LVIII Augustiniani de haeresib. libri scriptum legitur: „Nunc addo (subaudi: haereses), quas Philaster posuit, nec posuit Epiphanius".

Memoratu non indignum videtur esse, quod insignis ille ecclesiae Africanae doctor nomen episcopi Brixiani hac potissimum terminatione heic atque alibi pronuntiat, ut cap. LIII, XLI, quamquam, si codices Brixian. binos inspexeris, haec et talia conspicias: „Titulus sepulcri ejus, (cogita de Philastr.,) siti juxta altare beatissimi Andreae apostoli, in meridiana plaga erat: „FILASTRIUS BEATISSIMAE MEMORIAE HIC REQUIESCIT IN PACE". Denique invaluit apud Jos. Scaligerum, cap. I „elenchi trihaeresii Serrariani", Millium §. 851 „praefationis in Nov. Testam.", etiam Capreolum in „histor. Brixian." libr. III, quique reliqui sunt, consuetudo, virum, de quo verba facimus, nuncupandi Philastrium; id quod vel Augustinus, sibi in hoc genere parum constans, nonnumquam fecit, ut in literis „dilectissimo filio et condiacono Quodvultdeo" missis, quae in tom. VIII operum Augustini, Parisiis editor., praemissae libro de haeresib. sunt. Si illa vox, quod γένεσιν attinet, Graeca est, et ex voculis φιλεῖν et ἄστρον composita, inter τὸ Philaster et Philastrius eligendum videtur esse, licet, quocunque modo episcopum nostrum Brixianum appelles, haud multum mea quidem opinione intersit. Et haec quidem super nomine viri subjungenda esse credidi, ut cognoscerent eruditi lectores, me, dum episcopum in mea scriptione toties nominem Philastrium, contra ἔτυμον vocis et antiquum loquendi usum neququam peccasse.

haeretici isti opiniones eas, quas descripsimus: de Ezechiele libroque sapientiae, de Christi corpore φανταστικῷ, de resurrectione et judicio ultimo amplexati sunt, neque ullum opinionum apud Hermogenianos reperitur vestigium, annon obsecro! probabilissimum est, utrosque etiam diversos religionis Christianae praeceptores habuisse? Uno Hermogene si usi essent magistro, tanta, opinor, sententiarum diversitas in utrisque non exstaret.

Soli Deo gloria!

GRYPHIAE,
typis Frid. Guil. Kunike.

